cc
first title dam
pp. 105-108 very dam.
Some woodcuts crudely col.
stains

XIX. 6.

so

Anno i 659

FABVLÆ C. ÆSOPICÆ

à

GABRIELE FAERNO CREMONENSI VERSIbus & Iconibus explicatæ,

CVM

AVCTARIO EXPOSITIONIS earundem oratione ſoluta, auctore Ioach. Camerario, alijsq; viris doctiſs.

ITEM

FABELLÆ ÆSOPICÆ quædam notiores, compoſitæ ab eodem Ioachimo Camerario.

OMNIA AD VTILITATEM IVVENTVtis ſcholaſticæ in hunc libellum congeſta

A

Gregorio Berſmano Annæb.



1 5 9 0

Cum priuilegio Cæſa. & Elect. Sax. ad decennium.

GREGORIVS PETRVS BERSMANVS FRIDERICO GROSIO, HENNINGI V. ornatiſs. F. conſobrino ac condiſcipulo ſuo cariſsimo S. D.

NON MINVS VERE, quàm præclarè, magiſter oratorum ac pater eloquentiæ Iſocrates dixit: πρέπει γὰρ τοὺς παῖδας, ὥσπερ τῆς οὐσίας, οὕτω καὶ τῆς φιλίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν: indicans nimirum, maximè hoc eſſe conſentaneum, ſi liberi non facultatum ſolummodo & rei familiaris, ſed etiã amicitiæ paternæ adeant hæreditatem. Quod vt rectiſſimè à præcipuo, non modò dicendi, ſed etiam ſapiendi doctore, dictum exiſtimatur: ita non iniquum fuerit, liberos amicitiæ illius fructum, vi-

uis iam dum parentibus, percipere. Quare cum exploratum haberem, cõsobrine cariſſime, quanta inter amborum parentes intercedat amicitia, augente illam inſuper affinitatis coniunctione, æquiſſimum putaui fructum ipſius ad nos quoq; peruenire. Ad quã rem DEI propitij benignitate videtur peropportuna nobis oblata occaſio, editione præſenti fabularum centum Aeſopicarum, à Gabriele Faërno carminibus explicatarum. Quas cum parens tuus, pro ſingulari ergã iuuentutẽ ſcholaſticam beneuolentiæ affectione, conſtituiſſet hoc tempore ſuis recudendas ſumtibus curare; atq; à patre meo impetraſſet, vt illas velut auctario quodam earundem fabularum, à Ioachimo Camerario, & alijs quibuſdam viris doctiſſi-

ctiſsimis, ſoluta oratione expoſitarum, locupletaret: rectè me facturum exiſtimabam, ſi donatum mihi à parente meo opuſculum, peculiari ſignificatione huius epiſtolæ, tibi nuncuparem. Sic enim fore arbitrabar, vt ambo parentũ noſtrorum amicitia & coniunctione frueremur; tu quidem participando laborem & operã, quam meus in augendo libello hoc adhibuiſſet; ego verò impẽſas, quas tuus, curando editionem ipſius, feciſſet. Hoc ſtudij recti & ſimplicis factum, cuius ego auctorem habeo parentem tuum, nequaquã te improbaturum confido: atque idem probatum iri ſpero ceteris commilitonibus noſtris, ad quos ex fabularum iſtarũ lectione commune vtilitatis amborum emolumentum ſimul peruenturum eſt.

 Neq;

Neq; enim dubito lectionẽ hanc profuturam plurimis: idq́; vt fiat, precor æternũ DEVM, qui discentium studia suo sancto Spiritu gubernet, & iubeat esse salutaria Ecclesiæ ac Reipub., nosq́; præpotenti sua dextera tueatur, ac protegat ab omnibus malis & periculis, tum corporis, tum animæ. Bene & feliciter vale. Ex gymnasio illustri in veterum Soraborum metropoli. A. D. Calend. Ianuar. Iulianas anno ineunte M. D. XC. quem propitius DEVS Ecclesiæ filij sui Domini nostri IESV CHRISTI, cuius nos membra profitemur & agnoscimus, felicem, salutarem, tranquillum, & fœcundum esse velit, fortunante eum qui solus est δωτὴρ ἐάων, ac fons inexhaustus benignitatis sempiternæ, Amen.

INDO-

INDOLIS EGREGIAE, PRÆCLARÆQVE SPEI ADOLESCENTVLO GREGORIO PETRO BERSMANO

M. Iohan. Schellenbergius.

Nititur ergo etiã Bersmanus in alta Secund',
Tam tener & Musis incipit esse bonus!
Phœbe tibi gratare, tuis gratare Camœnis,
Surgentemq́ illum surgere crede tibi.
Quod sua literulis, non Burris, consecrat orsa,
Quodq́ iuuat ludos, hoc genitoris habet.
Magnũ magna decẽt: dat paruula paruulus ille:
Hæc dantur pueris docte Scholarcha tuis.
Viribus ingenij promant potiora cluentes
Ebria Pieridum nectare sacra cohors.
Macte animi puer egregij, Patris æmule magni,
Omnis cui debet Pieris ora viro:
Si Libitina timet doctos abolere libellos,
Hic etiam viuet secula multa liber.
Tu quoq́ sic, forsan quæ quondã tempore longo
Sint ruitura, foues nomina magna patris.
Aonio gens sacra choro cognosce laborem,
Hunc librum naua volue reuolue manu.
Qui iuuat ocia docta, animosq́ informat inertes,
Ille polo carus, carus & ille solo.

INDOLIS EXIMIÆ, OPTIMÆQVE SPEI ADOLEſcentulo FRIDERICO GROSIO M. IOH. SCHELLENBERGIVS.

AVreolus, Veneris plenus, cultusq́ libellus
Auſpicio lucem fert Friderice tuo.
Excipe, ſed gnaua dextra: lege, perlege, diſce:
Doctrinam iuncta commoditate feres.
Seria conueniunt ſedatis, grandia magnis:
Aetatem teneram Fabula blanda decet.
Celſa petant celſi, captent ſublimia grandes;
Vrgebis fragilis tu patienter humum.
Paruum parua decent: tibi cum maturior ætas
Iudicium dederit, maxima ſcire potes.
Interea pones fundamina ſolda futuræ
Doctrinæ, & ſtabunt culmina firma diu.
Ne ſi congeſtam temerè cumulaueris artem,
Inſanam molem ſtulta ruina premat.
Ambroſia fias Muſarum & nectare plenus,
Atq́ boni Patris filius eſto bonus.
Sic eris vſq́ ſuper, ſic vera laude coruſco
Aeternam famam ſecula cana dabunt.

INDEX

INDEX OMNIVM
FABVLARVM, QVAE IN hoc libello continentur.

A.

B.

C.

Canis

Equus

E.

F.

G.

H.

I.

Inui-

Momus

N.

O.

P.

Puer

Teſtu-

FABV-

FABVLÆ C. AESOPICAE.

OLLÆ DVÆ, ÆNEA ET FICTILIS.



DVAS *trahebat amnis ollas, æneam*
Vnam, alteram autem fictilem.
Sed ahena, proprio prægrauata pondere,
Sibiq; porrò præcauens,
Suadere cœpit anteeunti fictili,
Coniungi vti vellet sibi,


Quò rabidum aquarum ſuſtinerent impetum
Iunctis vtrinque viribus.
Cui fictilis, Tua mihi, ait, vicinitas
Non admodum placet ſoror:
Nam ſiue te mihi vnda, ſiue me tibi
Propè adnatantem illiſerit,
Vt ſoſpitem te dura præſtabit cutis,
Fragilem meam ſic conteret.

Potentiorum ſemper eſt vicinitas vitanda tenuioribus.

LEBETEM AHENEVM ET ollam fictilem vndæ vis abſtulerat. Tum olla magnopere vitare concurſum aheni, & formidare ac tremere. Cui lebes, Quid metuis? inquit, non ego tibi nocebo. Reſpondit olla, in tali iactatione ſe non poſſe ſecuro eſſe animo, cui non ſuſpecta ipſius voluntas erga ſe, ſed fortuitus concurſus timori eſſet.

Docet fabula, periculoſas omnibus modis eſſe coniunctiones potentum & impotentum.

IVPPITER ET MINERVA.



LEgere proprias dij sibi quondam arbores,
Quam quisque vellet esse tutela in sua,
Quercum supremus Iuppiter, myrtum Venus,
Pinum humidi tridentifer Rector sali,
Apollo laurum, populum excelsam Hercules:
Mirata enimuerò est Minerua, cur ita
Infructuosas legere voluissent, quibus
Tantum ad manum esset fructuosarum arborũ.
Cui Iuppiter causam hanc roganti reddidit;
Ne existimemur fructu honorem vendere.

Tum Pallas, At vos facite quod vobis lubet:
Ego, inquit, oleam fructuum caussa lego.
Exosculatus filiam tum Iuppiter,
O nata, dixit, iure sapiens omnibus
Dicère seclis: iure tu capitis mei
Propago: nam quod facimus, id nisi vtile est,
Stulta omnis atque inanis inde est gloria.

PECVLIAREM DII, suæ quisque tutelæ, cùm olim vendicarent arborem, Iuppiter quidem quercum, Venus verò myrtum, Neptunus pinum, Apollo laurum, Hercules denique populum suam dici vellet: Mineruam miratam esse ferunt, cur posthabitis fructuosis, quarum tanta esset copia, infructuosas sibi arbores eligere maluissent. Cui Iuppiter, Ne, inquit, fructu honorem vendere videamur. Tum Minerua, At vos, inquit, facite quod lubet: ego mihi oleam propter vbertatem fructuum sacram esse volo. Hîc Iuppiter, Merito, inquit, tuo, mea filia, te amo, nec iniuria sapientiæ Dea perhiberis, cerebroque prognata meo. Quis enim gloriolæ inanis, remota vtilitate, fructus est?

LEO,

LEO, ASINVS, ET VVLPES.



VNita societate asinus, & leo ac vulpes,
Venatum iêre. cumq́; præda iam multa
Facta esset, atque hanc tres asellus in partes
Diuidere iussus, ex bono esset atque æquo
Partitus, ira leo superbus exarsit:
Miserumq́; diuisorem atrociter sanè
Doli mali atque iniquitatis accusans,
Discerptum, hianti concidit vorax aluo.
Rictu cruento deinde versus ad vulpem,

Vt faceret æquas sedulò innuit partes.
Ea fermè ab vna parte cuncta secreuit
Leoni: ab altera id sibi quod à tanta
Pauxillulum detractione restabat.
Tum gestiens leo, Vnde, ait, soror vulpes
Es diuidundo tam erudita communi?
Asini calamitas, exitusq; lugubris
Me fecit, inquit illa, iureconsultam.

Aliena sunt pericla cautio nostra.

AMICITIAM QVODAM tempore iunxêre inter se Leo, Asinus, Vulpes: atque ita communiter venatum exiêre. Copiosa autem præda parta, iubet asinum leo illam diuidere: Qui simpliciter in tres æquales partes distribuens, sorte putabat decerni oportere, quam quisque deberet sumere. Ob hæc leo ira commotus, in asinum irruit, & dilacerat atque deuorat miserum. Tum vulpem diuidere iubet. At illa in vnum aceruum congestis vniuersis, sibi exemit paruulam portiunculam, atque hanc iustam diuisionem esse dixit, vt leoni, cuius non solùm auspicijs, sed etiam laboribus omnia essent quæsita, plurima extra quidem

dem ſortem cederent. Cui leo, Quis te, inquit, optima vulpecula, tam ſcitè partiri docuit? Aſini, reſpondit vulpes, mi leo fortiſsime, aſini, ſocij noſtri caſus.

Docet fabula, ſolere aliorum calamitate & malis prudentiores reddi homines.

ASINVS ET LVPVS.



Calcatus asino clauus, in pede hæserat:
Quem lupus, acuta fretus acie dentium,
Medicum professus, atque pactus præmium,
Extraxit: itaque exigere mercedem institit.
Obuersus asinus, grauiter os improuidi
Lupi, atq; mediam calce frontem perculit.
Ibi lupus, Iure, inquit, hoc mihi accidit:
Neq; enim, coquus qui sum, agere medicũ debui.

Quam quisque nouit artem, in hac se exerceat.

Conspe-

CONSPECTVM IN PASCVIS asinum deuoraturus lupus, exoratur ab illo, vt prius spinam extrahat, defixam in calce pedis posterioris. Sed dum lupus post asinum abit, percussus, & vertigine oborta humi stratus, facultatem dedit asino aufugiendi. Postea reuersus ad se: Cocus, inquit, qui essem, cur medicinam faciebam?

Fabula ostendit, vix sine damno fieri, vt omissa arte, quam quisque nouit atque didicit, ad aliam factitandam aggrediatur. Huius fortasse versus Suidas retulit, vbi interpretatur κυνηκίαν lupum, istos: ὁ δ' ἐκλυθεὶς πόνον τε κἀνίης πάσης, τὴν κυνηκίαν χάσκοντα λακτίσας φεύγει.

LEO MENTE CAPTVS, ET CAPREA.



PErcitum atra bile caprea cum leonem cerneret,
Peruagantem lata campi ſpatia veſanis modis,
O' ferarum triſte fatum, dixit, ac miſerrimũ:
Nam leo ſi compos animi, non erat ferri potis:
Nunc vbi inſanire cœpit, quàm erit atrox, & impotens!

Fulmen eſt, vbi cum poteſtate habitat iracundia.

CON-

CONSPECTO LEONE furente, O' miſeram & infelicem conditionem beſtiarum, inquit caprea. Siquidem etiam furioſos habituræ ſumus leones, quorum mentis & rationis compotum ſæuitiam intolerabilem eſſe experimur.

Fabula deterret eos, qui in principatu ſunt, & rerum potiuntur, ne in iram facile delabantur, neúe è poteſtate exeant.

ASINI

ASINI DVO.



Asini duo vnà fortè faciebant iter,
Onuſtus alter ſpongijs, alter ſale.
Cumq́; hic vadoſo in profluentis tranſitu
Sub prægrauante lapſus eſſet ſarcina,
Contacto aqua ſale, inq́; tabem liquidam
Soluto, ab omni liber onere & geſtiens
Euaſit vndis. ſpongias alter ferens,
Hoc viſo, & ipſe ſarcina ſeſe vt ſua
Leuaret, alto ſponte procubuit vado:

Sed

Sed ſpongijs aquam vſque combibentibus
Depreſſus imo merſus hæſit flumine.

Non vna agendi ratio cunctis congruit.

ASINVS CVM SALE IN vrbem agitari ſolitus, cum fluuius in via tranſeundus eſſet, in illum fortè quodam tempore decidit, & cum ſurgeret, ſenſit ſe nonnihil onere leuatum, quod in aqua ſales delicuiſſent. Itaque poſtea ſemper in illo loco collabi, donec agitator, fraude intellecta, ſpongias aſino impoſuit, quibus madefactis, cum ſentiret eſſe pondus grauius, multò deinde quàm antea vnquam celerius fluuium tranſijt, diligenter cauens, ne onus humectaretur.

Fabula docet, ſæpe ſperatum commodum in detrimentum verti. Docet & hoc, fraudulentos fraude circumueniendos. Narrat fabulam Plutarchus, & Thaletem illud inuentũ ſpongiarum ſubieciſſe ſcribit.

FOR-

FORMICA ET CI-CADA.



HIberno exponunt dum frumenta humida soli
Formicæ, confecta fame, & moribunda cicada
Auxilium rebus supplex orabat egenis.
Hanc formica anus, & multo vsu docta rogauit,
Quid rerum æstate egisset: cumq; illa, sonoro
Se membranarum pulsu, & crepitantibus alis,
Diceret æstiuos hominum leniisse labores;

Formi-

Formica excipiens, Si tunc, inquit, cecinisti
Imprudens animi, vacuo nunc corpore salta.

Aetatis dum ver agitur, tum consule brumæ.

FORMICAE HVMECTAtas in hyeme siccabant fruges, ad has adit cicada esuriens, & orat paululum cibi vt sibi impertiant. Cui illæ, Aestate, inquiunt, quærere te oportuit. Non vacabat, inquit cicada. Quid faciebas igitur? inquiunt illæ: Cantationibus operam dabam, inquit. Tum illæ: Si cecinisti æstate, inquiunt, hyeme saltato.

Monet fabula, ne vlla in necessaria re cessemus, ne postea egentes frustra præteritum tempus requiramus, aut aliorum opem imploremus.

TVRDI.



EX maximo cum ſortè turdorum globo,
Ad præcoces vindemias qui Galliæ
Togatæ Etruſcis deuolarant montibus,
Exigua ſanè pars reuertiſſent domum,
Sed hi ſagina craſſi, obeſi, prægraues;
Hos conſpicati qui domi remanſerant,
Liuore tacti, ſe ſuamq; peſſimam
Cœpere ſortem conqueri, quod cum ijs ſimul
Ad tam beatas non profecti eſſent dapes.
Quibus vnus ex ijs, qui reuerſi erant, ait:

O *inſci-*

O' inſcientes, atq; rerum improuidi,
An non videtis, ex quot antè millibus,
Qui exiueramus ſpe ſaginæ, & crapulæ,
Ad quam redacti paucitatem nunc ſumus?.
Fœdo exitu deſideratis cæteris
Captis, necatis, ſub corona venditis.
Quod ſi miſerias, ſi pericla, ſi metus,
Si cuncta, quæ nos, qui ſuperſumus, mala
Pertulimus, æſtimetis, & caſus graues:
Ne hæc ſtulta vobis iam libido ſugerit,
Externa conquiſitum eundi pabula.

Paucos beauit aula, plures perdidit:
Sed & hos quoque ipſos, quos beauit, perdidit.

E' COPIOSO TVRDORVM grege, qui ex Hetruria in vicinam Galliæ togatæ regionem paſtum auolârant, cum pauci quidam, ſed probè ſaginati, domum reuertiſſent, eos conſpicati qui remanſerant, atque hanc ijs felicitatem inuidentes: ô nos fatuos, exclamant, & infelices, qui non vnâ ad tam opiparas dapes profecti fuimus! His reſpondens vnus ex ijs qui reuerſi fuerant, ô vos imperitos, inquit, & rerum ignaros, an non videtis,

C ad quan-

ad quantam redacti ſimus paucitatem ex numero pænè innumero eorũ,qui ad prædam turmatim exiueramus? maximam enim partem capti, atq; ſub auctione venditi, mortalibus eſui fuimus. Quod ſi accuratius perpendere vobis libuerit, quanto nobis conſtet hæc ſagina, nunquam in animum induxeritis, ſimilem experiri fortunam.

Imago proponitur conditionis aulicæ, quæ plures perdidit quàm beauit, & pauculos quos beauit, tandem & ipſos peſſundedit.

SVS ET CANIS.



MAgna inuicem contentione exarſerant
Sus & canis; magnamq́ voce diſſona
Rixam ciebant, atq; acerba iurgia.
Tandem ſuperbis exacerbatus minis
Sus, Per Venerem, ait, ſi mihi perrexeris
Moleſtus eſſe, dente te transfodero.
Tum canis amaris ſalibus aſpergens ſuem,
Bene, inquit, atq; appoſitè eam iuras deam,
Quæ te odit adeo, vt, qui ex tua impuriſſima

Carne ederit, eum illa arceat templo ſuo.
Immò potes, ſus inquit, hinc dignoſcere,
Quàm diligat me diua, quæ hunc, quæ læſerit
Me, quiq́ carnes dente violarit meas,
Eum vt profanum nolit ad ſe admittere.

Prudens vir ea, quæ exprobrat aduerſarius,
Ipſe in ſuam torquere nouit gloriam.

M V T V A S I B I C O N V I C I A ſus & canis faciebant. Sus per Venerem iurare, ſe canem, niſi deſinat maledicere, dentibus ſuis conſciſſuram eſſe. Hanc irridens canis: Per Venerem, inquit, venuſtum eſt iuſiurandum tuum: Nam te valde delectari Deam apparet, quippe cum nolit in ſuum fanum admitti eos, qui guſtarint carnes tuas. Cui ſus, iam mitior, reſpondit: Enimuerò illa me diligit, cum occiſores meos & infeſtos mihi prorſus repelli iubet ab ſe. At tu fœtes tam viuus quàm mortuus.

Monet fabula prudentes, vt inimicorum conuicia & probra facetè ad laudem ſuam conuertant, & contra illos retorqueant.

S ENEX

SENEX ET MORS.



Lignatū egressus nemorosi ad culmina mōtis,
Confecto sub fasce senex sese inde ferebat:
Cumq; labore viæ, atq; iniusto pondere pressus
Abiecisset onus, solis deprensus in aruis
Mortem implorabat, mortem sæpe ore ciebat.
Ecce autem huic diræ species se pallida Mortis
Obtulit, &, Si qd vellet, præsto esse professa est.
Ille metu sudans, atq; in contraria versus
Vota, Iuua me, inqt, tergo hunc imponere fascē.

Multi absentem audent mortem contemnere, quæ mox
Terret eos, veris repræsentata periclis.

CAECIDERAT LIGNA in sylua senex, quorum fasce sublato domum redire cœpit. Progressus autẽ multum sanè viæ, cùm defatigatus esset, & onere & itinere, deposito lignatu, acquiescens considerare ipse secum ætatis, inopiæ, solitudinis miserias, & clara voce inuocare mortem, cuius auxilio facilè liberari se ab omnibus malis posse diceret. Tum Mors exauditis precibus illius, coram asſistens, quid velit percontatur. At senex territus, & quem iam mortis pigeret: Nihil enim, inquit, sed requiro aliquem, qui onus paululum alleuet, dum ego rursus subeo.

Docet fabula, ad præsentiam mortis omnes refugere, neque quicquam esse tanti doloris aut cruciatus, quod vitæ dulcedinem diluere posſit, vereque Creo apud Sophoclem ait:

Fugiunt & audaces retrò, postquam propè
Vitam in suam grassarier mortem vident.

MER-

MERGVS, RVBVS, VESPERTILIO.



MErcaturæ olim ſocij, vaſa ænea mergus,
Veſtimenta rubus, argentum fœnore ſumtum
Beſtia, quæ mures inter volucresq́; locatur,
Contulerant; atq; his onerata mercibus alno,
Vela dabant læti minuente pericula lucro:
Cum ſubitò miſeros immanis adorta procella
Vorticibus rapidis nauim cum mercibus hauſit.
Ipſi udi, atq; inopes, vix fluctibus euaſerunt.

Ex illo mergus ſpumoſa ad littora ſeruat,
Si qua vnda allidens, ſua reddat ab æquore vaſa.
Obuia veſtimenta rubus per rura vagantum,
Si ſua fortè recognoſcat, ſcabro vngue retētat.
At veſpertilio, longo quæ tempore debet
Argenti ſummam, ſpatijs fœnebribus auctam,
Luce appellari metuens, clam nocte vagatur.

Sponte reuertuntur vitia intermiſſa; malæque
Inuitos aufert nos conſuetudinis æſtus.

VESPERTILIO, RVBVS, & hirundo conſociatis rebus ſuis mercaturam facere decreuerant. Tum veſpertilio alicunde pecuniam mutuò ſumtam pro ſua portione ad negocia communia contulit. Rubus autem veſtem, at hirundo æs, atque ita omnibus compoſitis nauem conſcenderunt. Prouectis verò in altum, tempeſtate frangitur nauis, & vix ſua corpora & vitam, rebus omnibus amiſsis, ſeruare potuerunt. Sed ex eo tempore, hirundo littora frequentat, ſperans fore, vt expulſum æs fluctibus recuperet. At veſpertilio, metu creditorum, inter-

diu latitat, & noctu volitat. Verùm rubus non cessat prætereuntium vestes arripere, si fortè recipere suam posit.

Ostendit fabula, earum rerum, quibus operam dederimus, cura nos semper teneri.

CORNIX ET CANIS.



Cornix Mineruæ ſacrificans, epulis canem
Conuiuam adhibuit: ille amicè eam monens,
O' bona quid opus eſt tam tibi iratæ deæ
Te ſacra facere? perdis, inquit, victimas:
Abiecit illa te, & peculiaribus
Omnem fidem abrogauit augurijs tuis.
Tu cætera ex hoc conijce, & dijudica.
Tum magnum ab alto corde agens ſuſpirium
Cornix, Scio, inquit, quæ refers de odio deæ:

Ego

Ego tamen neutiquam animum deſpondeo:
Quin potius id ago, vt ſacrificando & munera
Crebrò offerendo, mitigem iratam deam,
Offenſionemq́ obſequela leniam.

Qui vincere aduerſarium ex tuto cupit,
Beneficijs & gratia certet bona.

CVM REM DIVINAM faceret cornix pecude Mineruæ mactata, ad cœnam inuitat canem. Quid tu verò Deam, canis, inquit, fruſtra ſolicitas, & ſine cauſſa ſumtus facis? Ita enim illa te vehementer odit, vt ex omnibus tui generis animantibus vni tibi fidem augurij detraxerit. Ideo igitur cornix, huic, inquit, ſacra fero, vt mecum placata in gratiam redeat.

Docet fabula, eſſe multos, qui lucri ſpe inimicos colere & munerari non dubitent.

CORVVS ET MATER.



DEstitutus coruus æger mortis in periculo,
Anxius matrem rogabat, vt salute pro sua
Vota dijs concepta supplex, & preces effunderet.
Nate mi, quid vota pro te, mater inquit, proderunt,
Qui tibi omnes reddidisti semper infensos deos?
Nam quis, obsecro, est eorum, cuius ex altaribus

Exta

Exta tu non inuolaris, ſacra non turbaueris?


Impotenter qui nocere cęteris aſſueuerit,
Nullus illum ſubleuatum in rebus aduerſis volet.

CORVVS GRAVI MORBO laborans: Mater, inquit, Deos interpella pro ſalute mea, & à lacrymis tempera. Cui reſpondit mater: Vereor, vt meas preces vllum numen exauditurum ſit: Nullius enim tu victimis vnquam pepercisti.

Fabula docet, quibus ſecundis rebus plurimi fuerint inimici, eos non facilè amicos in aduerſis reperire.

MVSCA.

MVSCA.



IN carnium ollam musca quondam decidit:
Vbi cùm cibo potuq́; distenta ac madens,
Paulatim in alto iure sese cerneret
Pessum ire, mortemq́; imminere iam sibi,
Interrito, atq; composito animo oppetens,
Ego tantum, ait, bibi, & comedi, & laui, vt hunc
Satura exitum ferre haud molestè debeam.

Id, quod

Id, quod neceſſe eſt, fer, boniq́ue conſule.

AD MEL PROFVSVM IN cella quadam aduolantes muſcæ, illius dulciſsimo ſucco iucundiſsimè paſcebantur. Sed iam ſaturæ, cùm auolare vellent, pedibus in tenace liquore hærentibus, nitentes etiam alas implicuerunt quaſi viſco quodam mellis. Itaq; morituræ, O' miſeræ, inquiunt, quantillus nobis cibus interitum attulit!

Fabula reprehendit voluptarios & liguritores, qui lenocinio dulcedinis in magna ſæpe mala incurrere, ſæpe etiam interire ſoleant.

RVSTI-

RVSTICVS ET EQVES.



VEnalem tergo leporem cum ferret ad vrbē
Rusticus, inserto vincta inter crura bacillo,
Obuius huic eques; emturi sub imagine sumsit,
Librauitq; manu leporem; quantiq́; rogauit:
Protinus & vafram referens per rura rapinā,
Admisso discesßit equo. cui rusticus, Heus tu,
Inquit, eum dono leporem tibi: vescere gratis,
Vescere læto animo, & memori donantis amici.

Ridiculè

Ridiculè hæc homines, nequeunt quæ
vendere, donant.

POSTVLABAT A' RVSTIco eques leporem, quem portantem illum videbat, & quanti venderet rogabat. Cum autem accepiſſet quaſi inſpiciendum, adhibitis calcaribus equo, vnà cum lepore auehebatur. Tum ruſticus, Quid feſtinatione opus eſt, inquit, nam ego hunc portabam dono tibi.

Docet fabula, aliorum improbitati multa ſæpe neceſſariò condonari.

EQVVS ET ASINVS.



EQuus atq; asellus, seruientes vni hero,
Vterq; propria onustus ibat sarcina:
Sed asellus adeo iam grauabatur sua,
Vt cogeretur partis alicuius sibi
Supplex leuamen ab sodali exposcere:
Quo denegante, præ labore concidens
Miser supremum asellus egit halitum.
Tum verò, vt asini sarcina, & corium insuper
Equo ad priorem sarcinam sunt addita,

Mise-

Miſerum ille ſe vocabat, atq; perditum:
Nam qui leuare contubernalem meum
Parte oneris, inquit, nolui, nunc omnia
Geſto, atq; corium, tertiæ inſtar ſarcinæ.

Si tenuiorem iuuerit potentior,
Vtrique melius fuerit, & prolixius.

AGITABAT QVIDAM EQVVM & aſinum onuſtos ſarcinis. Deficiente autem in itinere aſino, & petente ab equo, vt aliqua parte oneris ſe leuaret, ſi ſe viuum aſpicere vellet, repudiauit equus preces illius. Paulò igitur pòſt fatigatione & labore conſumtus aſinus in via corruit, & efflauit animam. Tum agitator omnes ſarcinas, quas aſinus portauerat, atque inſuper etiam detractam pellem aſino, in equum impoſuit. Ibi ille deplorans fortunam ſuam, cùm ſerò iam faſtidij pœniteret: Me miſerum, inquit, qui paruulum onus in me ſuſcipere grauatus fuerim, cum nunc cogar tantum ferre, accedènte etiam pelle comitis mei, cuius preces tam ſuperbè contemſeram.

Docet fabula, ſi ſuperiores cum inferioribus operas ſuas communicent, hoc

solere vtrisque salutare esse. Plutarchus ὑγιεινῶν παραγγελμάτων, ita: ὁ βοῦς πρὸς τὴν ὁμόδουλον ἔλεγε κάμηλον, ἐπικουφίσαι τοῦ φορτίου μὴ βουλομένην, ἀλλὰ κἀμὲ, καὶ ταῦτα πάντα μετὰ μικρὸν οἴσεις, ὃ καὶ συνέβη τελευτήσαντος αὐτοῦ.

VVLPES ET ERINACEVS.



TRanabat alti fluminis vulpes vadum:
Sed ripa in ipſa, & vdo aquarum margine,
Voraginoſa crura defigens luto,
Muſcarum acuto obnoxia hæſit morſui.
Quam deſtitutæ vulpis ærumnam dolens,
Qui fortè eò deuenerat erinaceus,
Amanter atq; ſedulò officium ſuum,
Si qua in re eam iuuare poſſet, obtulit.
Atq; adeo, quando eripere te iſtinc non queo,

Vis, inquit, istas vt abigam muscas tibi,
Quæ te exedunt? Minimè, ait illa, gentium:
Nam si hæ recedant, quæ repletæ ac turgidæ
Non admodum nocere iam nobis queunt,
Aliæ illicò successerint famelicæ,
Quæ reliquũ omnem sanguinẽ exsugant mihi.

Qui res nouari, & regna mutari expetunt,
Quid aliud hi, quàm maius accersunt malũm?

CVM VNA FORTE ITER facerent vulpes & erinaceus, gloriari illa, & ostentare ingenij sui calliditatem, & se plurimarum artium noticia instructam esse, superbè prædicare, & rogare quid erinaceus sciret. Nihil enim, inquit erinaceus, nisi me in globulum conuoluere. Hoc enimuerò irridere illa, & contemnendum ducere. Paulò pòst incidunt in canes, qui cum omnibus artibus vulpem capiunt & discerpunt: spinis autem suis tectus & defensus erinaceus omne periculum euasit. Vnde & prouerbium postea natum, quod Græci senario iambico ita protulêre:

πολλ' οἶδ' ἀλώπηξ, ἀλλ' ἐχῖνος ἓν μέγα.

Fabula narratur contra gloriatores.

LEO

LEO ET VVLPES.



Horrenda primùm cùm leonis efferi
Aſpexit ora, præ metu vulpes ferè
Animam reliquit: viſo eo rurſum obuio
Timuit quidem illa, ſed minus multo tamen:
Deniq; datum in conſpectum eum iam tertiò,
Contemſit adeò, vt non adire ſit modò,
Sed alloqui quoq; auſa familiariter.

Quæ terribilia ſunt ab inſolentia,
Ea reddit aſſuetudo blanda, & mollia.

QVAE NVNQVAM LEO-nem vulpes viderat, cum huic fortè occurrisset, ita fertur exterrita, vt pene moreretur formidine. Eundem conspicata iterum, extimuit quidem, sed nequaquam vt dudum. Tertiò illi obuiam facta, tam firmo animo fuit, vt accedere propius & compellare illum auderet.

Ostendit fabula, etiam grauissima & difficilima negotia vsu & consuetudine tractabilia reddi. Itemq́ue hoc, inopinata omnia vehementius animos perturbare consueuisse.

VVLPES ET VVA.



Vulpes esuriens, alta de vite racemos
Pendentes nulla cum prensare arte valeret,
Nec pedibus tantum, aut agili se tollere saltu,
Re infecta abscedens, hæc secum, Age desine, dixit,
Immatura vua est, gustuq; insuauis acerbo.

Consueuere homines, euentu si qua sinistro
Vota cadunt, ijs sese alienos velle videri.

VVLPES SVBLIMEM vuam dependentem de vite conſpicata, ad illam ſubſilijt iterum atque iterum, omnes vires corporis adhibens, ſi fortè attingere poſſet. Tandem defatigata inani labore, diſcedens ipſa ſeſe quaſi conſolans: At enim acerbæ nunc etiam, inquit, vuæ ſunt, & iſta inprimis auſtera, neque ſi in via reperiatur, videtur tollenda eſſe.

De ijs fabula dicitur, qui neceſsitati obſequuntur, & libenter abſtinent ab ijs, quæ obtinere non poſsint.

CORVVS ET VVLPES.



INſedit altæ coruus olim quercui,
Roſtro rapaci caſei fruſtum tenens :
Quem vafra blando aggreſſa ſic vulpes dolo eſt:
Quàm pulcram auem, quàm ſplendidè cultam (intuor
Pennis decoris, atq; verſicoloribus !
Salue, inquit, ô generoſa : quòd ſi prædita
Cantu fuiſſes, ſummi eras ales Iouis.
His ille magnæ inductus in ſpem gloriæ,
Cantu indecoro rauca ſoluit guttura.

Tum

Tum versipellis decidente caseo
Vulpes potita, Corue tu, inquit, omnia
Habes abunde, mente duntaxat cares.

Qui coram in os te laudat, insidias struit:
Qui laude ficta ducitur, cor non habet.

SVSTVLERAT CORVVS alicunde caseum, & cum illo in altam arborem subuolarat. Vulpecula, quæ caseum concupijsset, ita illum adorta callidè fertur, cum primùm formam & nitorem pennarum, & laudes augurij collaudasset: Planè, inquit, te summi Iouis volucrem esse dicam, si audiero etiam vocem & cantum dignum reliquis virtutibus tuis. Coruus laudibus vulpis inflatus, clamorem edere quàm maximum posset. Ita de aperto rostro delapso caseo potita vulpes, irridens illum: Nihil, inquit, tibi deest corue præter cor.

Fabula docet, assentationes & deridendos & comedendos alijs, vt Terentius ait, exponere eos, qui illis delectentur.

DIES FESTVS ET PROFESTVS.



FEſtum in diem profeſtus inſurrexerat,
Odioſa magno probra clamore ingerens:
Quid te, inquit, ignaue eſſe tandem exiſtimas,
Qui tam otioſè, delicatam, ac ſplendidam,
Sine opere, ſine labore, vitam ductites,
Sudore parta prodigens meo bona?
Olli renidens leniter feſtus dies,
Et meritò alis, ait, ſortis auctorem tuæ:

Etenim

Etenim quid eſſes ſtulte ſine me? nam, niſi
Ego feſtus eſſem, tu profeſtus non fores.

Ordo optimatum, plebis haud dubiè eſt ſalus.

CVM FERIIS ALTERCAtam poſtridianam diem, quæ Græcis eſt ὑστέρα, accepimus, quòd diceret illas plenas eſſe negotij, & cuiuſdam moleſtiæ operandorum ſacrorum, epulis autem ad ferias inſtructis poſtridie demum homines placidè & iucundè frui ſolere. Tum reſpondiſſe ferias aiunt: Ita quidem eſſe, vt illa narraret, ſed quæſiuiſſe, vbinam ferijs ſublatis poſtridiana futura ſit?

Fabula memoratur contra glorioſos & vanitatem.

PAVO ET MONEDVLA.



REgi creando cùm comitia auium forent,
Blandò petebat pauo prensans ambitu,
Suas opes, suamq́ pulchritudinem
Iactans, & admirandum honorem corporis:
Et iam propè vna mente centuriæ alitum
In gratiam pauonis inclinauerant:
Suffragia inhibens cùm monedula, Heus tu, ait,
Formose, si, te rege, nos aquila impetat,

Quo

Quo pacto opem ferre, aut tueri nos putes?

In deligendo rege, multo impenſius
Animi bona ſpectanda ſunt, quàm corporis.

CVM HABERENT COMItia volucres regi creando, petijt regnum pauo, quòd ſe ob formam eximiam illo dignum præ cunctis eſſe diceret. Qui cùm omnium ſuffragia laturus videretur: Hic tamen rex, inquit monedula, ſi fortè ſit factus, & aquilam hoſtem habuerimns; quidnam opis auxilijúe poterit afferre?

Monet fabula, in principibus legendis non ſpeciem modò, ſed etiam virtutem & ſapientiam ſpectari oportere.

CERVVS ET HINNVLVS.



CEruo hinnulus olim filius dixit patri:
Et maior es tu canibus, & velocior,
Et ardua alacri fronte geſtas cornua:
Cur ergo, quæſo, tam times eos pater?
Cui ceruus, Hæc, quæ de me, ait, fili refers,
Sunt vera fateor: multa nobis contulit
Natura, multis prouida inſtruxit bonis:
Sed ego latratum canis vbi primùm audio:

Tum, vi abdita quadam, in pauorem, & in fugam
Agor, inq́; pedibus omne præſidium eſt mihi.

Timidi & fugacis ingenij qui ſunt, eos
Nulla arma, nulla texerint ſat mœnia.

HINNVLVM CVM CERuo ſic locutum aliquando ferunt: Mi pater, cùm multò ſis maior canibus, & pedum his celeritate præſtes, præterea cùm tibi ſint ardua cornua, quibus à te vim propulſare facilè poſsis, quî fit, vt canes tantopere metuas? Ibi ceruus ridens, Mi nate, vera, inquit, memoras: Mihi tamen, neſcio quo pacto, ſemper accidit, vt audita canum voce, in fugam ſtatim conuertar.

Fabula docet, eos, qui natura formidoloſi ſint, nulla cohortatione confirmari poſſe.

CORVVS ET SERPENS.



SErpentem aprico conspicatus in loco
Somno grauatum coruus, escam quæritans
Allapsus, vncis occuparat vnguibus:
Cumq; ille vertens se, inq; gyrum colligens
Hunc dente perculisset irritabili;
Moribundus & fiens coruus, En cuiusmodi
Reperi lucrum, inquit, quo miser me perdidi.

Infausta multis sunt sua ipsorum lucra.

CVM FAME CORVVS periret, neque eſcam vſpiam inueniret, fortè conſpectum anguem conuolutum & apricantem rapit, quo replicato & ſauciante coruum, ictus ille, O me miſerum, inquit, cui eiuſmodi oblatum fuerit commodum, à quo mihi interitus immitteretur.

Caſtigat fabula auaros, quibus lucri cupiditas ſæpe exitioſa eſſe comperiatur.

CYGNVS ET ANSER.



DVas opima cors alebat alites,
Cygnum, anſeremq́; candidum;
Vt ille dulce ferret auribus melos,
At hic obeſa viſcera
Gulæ exhiberet. ergo vt hunc hero in cibum
Parare iuſſus eſt coquus,
Loco anſeris cygnum inſcius præhenderat,
Colore falſus alitum.

At ille funus, vt ſolent cygni, in ſuum
Suaue carmen ordiens,
Ita agnitus, grauiq́ mortis impia
Solutus eſt periculo.

Pericla ſæpe, ſæpe proximam necem
Repellit eloquentia.

PECVNIOSVS QVIDAM, qui anſeres haberet domi, emit & olorem, & inter illos aluit. Audierat enim ſuauiſsimum eſſe cantum olorinum. Cum autem vellet ad epulas iugulare nocte quadam anſerem (ideo enim alebantur) fortè cepit olorem, quod tenebræ diſcrimen inter hunc & illos fieri nullum ſinerent. At olor carmen dulciſsimum, quod aiunt illos facere ſolere, vbi inſtare mortem ſentiant, accinit, atque ita cognitus ſeruatur.

Commendat fabula doctrinam, & inprimis muſica ſtudia, quibus etiam mors ipſa ſæpe auertatur.

PVER

PVER ET SCORPIVS.



Captabat agiles fortè locuſtas puer,
Modò hanc, modò illam ſaltitantem perſequẽs.
Quas inter atro ſcorpius viro tumens
Errabat. hunc locuſtam opinatus puer,
Dextram admouere cœpit. ille ſubrigens
Caudam minacem, ſeq́ȝ ad ictum comparans,
Manum abſtine, inquit, inſciens: aliter malo
Cogere veras quoqȝ locuſtas mittere.

Tunc ciuitates ruere consueuerunt, vbi
Nequeunt probos ab improbis discernere.

LOCVSTAS PVER captans, in scorpium incidit. Huic ille, Ne, inquit, attigeris me: Nam nisi à me abstinueris manum, locustas etiam, quas venatus es, cum dolore & gemitu proijcies.

Fabula monet, vitandos esse congressus improborum.

VXOR SVMMERSA ET VIR.



Vir mersæ vxoris rapido torrente cadauer
Aduersa quærebat aqua: quem turba monere
Institit accurrens, vt quæreret amne secundo.
Nequaquam, ille inquit: mea enim dum vi-
ueret vxor,
Tam morosa fuit, tam aliorum semper abhor-
rens

 Mori-

Moribus, ac factis, vt nunc quoque mortua labi
Debeat haud aliter, quàm aduerſa fluminis vnda.

Moroſa, & diſcors vel mortua litigat vxor.

RAPIDITATE TORRENTIS mulier quædam ablata, aquis ſubmerſa erat. Huius cadauer aduerſo quærentem amni maritum, prætereuntes hortari, ſecundo id flumine quæreret. Quibus ille, Minimè verò: quæ enim dum in viuis erat, contrarium ſemper ſequebatur: illam cum morte ingenium mutaſſe, nunquid mihi perſuaſero?

Narratur fabula contra moroſos & ingenio diſtorto præditos.

ANGVILLA ET SERPENS.



VNanimem quondam ſerpentem anguilla
rogauit,
Cur anguillarum generi omnia plena periclis,
Plena dolis hominum atque inimicis fraudibus
eſſent : *(mellus*
At tu, inquit, mihi cùm ſimilis, cùm penè ge-
Cætera ſis nullis obnoxius inſidijs es ;
Securosq́ dies pacati tranſigis æui.

Cui


Cui ſerpens, Nimirum, inquit, quia qui mea turbat
Otia, & infeſtam mihi vim temerarius affert,
Non impunè refert, nec inulta iniuria reſtat.

CVR, INQVIT ANGVILla quondam angui, me captant, te tangere nolunt homines, cum & forma tibi non abſimilis ſim, & nomine etiam formidabiliore? Reſpondit anguis, Quia me non facilè quiſquam ſine malo attingit ſuo.

Narratur fabula contra abiectionem & humilitatem animorum.

CANIS

CANIS ET LVPVS.



CAnem ante ſtabuli dormientem ianuam
Lupus irruens cùm deuoraturus foret,
Ille eiulans voceſq́; flebiles ciens,
Ne ſe comeſſet, deprecabatur lupum:
Aut certè, ait, (nam & tenuis alioqui, vt vides,
Macerq́; ſum) da mihi, obſecro, breuem morã:
Domi enim meæ cras ſunt futuræ nuptiæ,
Vbi, ad affluentes pinguis effectus dapes,
Opimior tibi eſca ero, ac iucundior.

Perſua-

Perſuaſus his, dimiſit incolumem canem
Lupus. reuertens inde poſt aliquot dies,
Eum, cubantem parte in excelſa domus,
Cum infernè clamans excitauiſſet, datæ
Fidei admonebat, atq; pacti fœderis.
Ibi tum ille ridens ſubdolè, Si me, ô lupe,
Vnquam ante ſtabulum dormientem inueneris,
Ne nuptias dehinc, inquit, expectaueris.

Quæ quis pericla eſt paſſus, hoc lucri hinc habet:
In poſterum vitare vt illa nouerit.

IACEBAT FORTE AD ſtabulum dormiens canis, quem oppreſſum dilaniaturus lupus, mitigatur commoditate orationis, & blanditijs promiſſorum. Viden' enim, inquit canis, quàm hoc tempore extabuerit macie corpus meum. Nam non diu eſt, cùm grauiſsimo morbo liberari cœpi. Et propè eſt tempus dictum nuptijs herilis filij, tum ego ſagina, nitorem priſtinum facilè recuperauero, vt poſtea lautè de me epulaturus

turus eſſe videare. His verbis lupo perſuaſit, vt in præſentia ſe amitteret. Poſt dies aliquot reuerſus ad idem ſtabulum lupus, videt canem ſub tecto domus iacentem placidè acquieſcere, quem ad ſe deſcendere iubet, & facere promiſſa. At canis illum deridens, Ego tibi, inquit, lupe, conſilium dare volo, ne ſi poſthac vnquam me ante ſtabulum ſopitum depræhenderis, vllas magis nuptias expectes.

Indicat fabula, homines ſapientes, ſi qua fortè in re offenderint, aut periculum adierint, non committere, vt ſe eidem iterum diſcrimini committant.

CANIS, GALLVS ET VVLPES.



CAnis, atq; gallus longum iter quondā ſimul
Ingreßi, opaco iam appetente veſpere,
Nacti arborem, vbi quieſcerent, gallus quidem
Faſtigia alta frondeæ aſcendit domus;
Canis excauatum in caudicem ſe condidit.
Cum verò, vt aduentante conſueuit die,
Cantum edidiſſet gallus, accurrens eò
Vulpes, eum rogabat enixißimè,

Deſcen-

Descenderet, suiq́; faceret copiam:
Gestire se, animal tam canorum & musicum
Amplecti, & osculari, & os agnoscere:
Tum fraude gallus cognita, Cupio tibi,
Quæcunq; possum, commodare & obsequi,
Et esse tecum: sed tu, ait, quæso hunc prius,
Qui dormit infrà, ianitorem suscita,
Fores mihi vt recludat, vnde ad te exeam.
Vocante vulpe ianitorem, prodijt
Canis; agnitamq́; adortus aduersariam,
Nil tale veritam, dente laniauit truci.

Qui fraude agit, iure ipse fraude fallitur.

CANIS ET GALLVS societate inita vnà iter faciebant. Noctu in agro depræhensi, cum tenebræ viam obscurarent, sic acquiescendum statuêre, vt gallus in arboris ramis insideret, inferius autem in cauum truncum irreperet canis. Cantante autem suo more gallo, excitata vulpecula accurrit, atque illum hortatur, vt descendat: cupere enim sese complecti

auem tam grata & ſuaui voce præditam. Cui reſpondit gallus: Ianitorem, qui fores pandat, prius ſuſcitandum eſſe, quàm ipſe deſcendere poſsit. Stulta vulpecula non prouiſa fraude ad arborem accedit propius, & ianitorem quanto poteſt altiſsimo gannitu ciet: ergo canis experrectus, ſubitò in vulpeculam inſilit, & correptam dilaniat.

Docet fabula, vim & iniurias inimicorum, quibus ipſi pares eſſe non valeamus, ad alios potentiores calliditate conſilij auertendas eſſe.

MVLVS.



LAsciuientem plurimo ordeo mulum
Quondam hæc superba cogitatio inceßit.
Ego pulcher, inquit, ego celerrimus cursor,
Patrem habui equum, qui aurata frena mandebat.
Hæc ille: sed mox, incidente currendi
Neceßitudine, impeditus atq; hærens,
Ad prima campi spatia restitit lassus;
Asiniq; patris est statim recordatus.

 Secunda

Secunda nos fortuna neſcios noſtri
Facit, ſiniſtra noſmet indicat nobis.

OPIMVS PASTV HORDEI factus mulus, incitare ſe ad curſum,& gloriari de materna origine, quam celeritate referret. Matrem, inquit, equam habeo, præſtanti celeritate, qua ego non ſum inferior. Mox quodam tempore currendi neceſsitate illi impoſita defatigatus, cœpit paterni generis, & ſe eſſe aſino procreatum, recordari.

Fabula monet, non ſuperbiendum, ſi quem fortuna extulerit altius, neq; prioris conditionis obliuiſcendum: Nam inſtabilem eſſe vitam hominum. Monet & hoc, prouectos ad honores & dignitatem, humilitatis aut dedecoris parentum conſcientia perturbari animis, vt Euripides Phædram loquentem introducit:

Animos virorum fortium quoq; deijcit,
Si patris, aut matris meminerint dedecus.

ASINVS, SIMIVS, ET TALPA.



Asinum querentem quòd careret cornibus,
Et simium quòd caudæ honore, hoc arguit
Sermone talpa: Quî potestis, hanc meam
Miseram intuentes cæcitatem, hæc conqueri?

Aliena si æstimaris infortunia,
Tunc æquiore mente perferes tua.

Me miservm, inqvit, & infelicem, asinus, cui nihil natura tribuit, quod vlli animanti metuendum esse videatur, atque vtinam cornua illa mihi esset largita. Hæc audiens simia, Non tamen tanta, inquit, turpitudo tua, quanta mea est, quæ nudis viuo natibus, & sine cauda. Cognouerat querelam amborum talpa, vt illo fortè in loco solum egerere cœperat. Fertur autem hæc bestiola solertissimi esse auditus. Prolato igitur capitulo suo: Quid, inquit, querimini, cum sciatis me captum oculis, & sempiternas in tenebras à natura procreatum esse?

Fabula ostendit, eos, qui se infelicissimos esse existiment, comparatione aliorum beatos interdũ videri posse. [illegible] scripsit perquam eleganter etiam hoc Herodotus: Si omnia omnium mala vnum in aceruum congererentur, vt æqualibus partibus factis, quisque vnam secum auferret, arbitrari se futurum neminem, qui non sua referre secum, quam alterius capere mallet.

Ivve-

IVVENES DVO ET COQVVS.



DVo olim iuuenes coquo aßidebant :
Quorum cum rapuiſſet alter offam
Carnis, obtulit alteri occulendam :
Sed coquo hanc repetente ab ÿs, vti qui
Soli tempore furti ibi affuiſſent,
Is, qui habebat eam, inuolaſſe ſeſe,
Qui inuolarat, habere ſe negabat,
Sanctè per Iouem vterque deierantes.

Queis amaro animo coquus renidens,
Vestro me quidem, ait, potestis aptè
Circumscribere iure peierato:
Deum, cuncta scientem, & intuentem,
Circumscribere fraude non potestis.

CVM FORTE PROPTER cocum adolescentes duo versuti atque furaces assedissent, occupato coco rebus suis, vnus horum rapuit frustum carnis, & alteri tradidit, qui demisit in sinum. Cocus postquam ad carnes respexit, & abesse aliquid sensit, qui sciret affuisse præter duos istos neminem, repetere ab illis amissum frustum cœpit. At is, qui de altero acceperat, deierare se non abstulisse: qui verò ipse sustulerat, penes se non esse. Cocus intelligere improbos esse & veteratores: Et mihi quidem, inquit, quid factum sit ignoro, verba dare potestis, Deum autem profectò non falletis.

Deterret fabula à fallacia & fraude sermonis & periurio: nihil enim horum non manifestum Deo est, quamuis fortè hominum animaduersionem effugiat.

COCH-

COCHLEÆ.



IMpositas prunis cochleas intentus & hæres
Filius agricolæ circumfuso igne coquebat.
Illæ humore graues, & succo obstante calori,
Edebant raucum tenui stridore sonorem.
Tum puer irridens, O' stulta animantia, dixit;
Nunc canitis, vestræ cùm flagrant ignib. ædes!

Damnantur quæcunque alieno tempore fiunt.

TORREBAT PVER RVsticus cochleas, quibus ad prunas ſtridentibus: Sceleratæ, inquit, animantes, poteſtis canere, cum vrantur domus veſtræ?

Fabula monet, quæcunque non fiant ſuo tempore, ea eſſe reprehendenda.

CORNIX

CORNIX ET HI-RVNDO.



DE pulchritudine atq; honore corporis
Hirundine & cornice contendentibus,
Post multa vtrinq; dicta, ita aduersarium
Cornix retudit; Quanti, ait, tandem tua est
Facienda pulchritudo, quæ prima modò
Aestate floret, præ mea, quæ hyeme quoq;?

Diuturna fluxis præferenda sunt bona.

DE FORMAE PRAESTANtia certamine orto inter hirundinem & cornicem, cum diu multumque certatum verbis esset, cornix tandem, Quicquid, inquit, formositatis in te sit, vernum hoc solummodo tamen est, at ego etiam hyeme duro.

Monet fabula, firmitatem corporis, forma potiorem habendam.

MER-

MERCVRIVS ET STATVARIVS.



Visurus olim, quanti apud homines foret
Mercurius, ora versus in mortalia,
Sese in tabernam contulit statuarij.
Inspecta vbi tonantis effigie Iouis,
Quanti, rogauit: vtq; drachma, comperit,
Clam vilitatem patris irrisit sui.
Inspecta item Iunonis, aliquanto amplius
Pretium eius esse, quàm prioris, audijt.

Postremò

Postremò contemplatus & statuam suam,
Existimansq́; se esse longè maximi,
Quòd lucra præstet, quòd sit interpres deûm,
Pretium indicari petiјt & sui sibi.
Statuarius tum dixit: Hasce si emeris,
Et hanc tibi hospes additamentum dabo.

Plerunque nihili est, qui ipse se magni æstimat.

AVEBAT COGNOSCERE Mercurius, quantopere ab hominibus coleretur. Venit igitur in officinam statuarij, specie emtoris, & primum Iouis simulacro conspecto, quanti indicaret, interrogat. Cumq́ue audisset æstimari denario, subridens: At Iunonis hoc quanti? inquit. Aliquantulo pluris, inquit statuarius, hoc vendo. Quam magno igitur? inquit Mercurius, faciamus enim precium. Nummis sestertijs, inquit ille, habeto nouem. Contemplans verò reliqua, vidit & Mercuriale signum, quod & ipsum

ipſum licitatur. Sperabat autem carius multo æſtimatum illud iri, quippe Mercurij quod eſſet, nuncij & interpretis Deorum, cuius numen in ſpe lucri omnes mortales inuocarent. Tum ſtatuarius: Si tibi, inquit, emtis ſignis opus eſt, dabuntur illa duo, de quorum precio percontatus es, ſeſquidenario, & hoc in cumulum accedet.

Contra gloriæ cupidos fabula dicitur, qui tamen ab alijs non magni fieri conſueuerint.

PATER

PATER ET FILII.



Moriens pater lecto aßidentes filios
Admonuit, auri maximam ſe in vinea
Vim condidiſſe; proinde poſt obitum ſuum
Id excauato penitus eruerent ſolo.
Hæc ille: ſed mox liberis rogantibus
Vti ederet, qua parte tandem vineæ
Aurum lateret, nil locutus amplius,
Deſiderati liquit incertos loci.
Illi, peracto protinus buſto patris,

Verſare

Verſare duris vineam ligonibus,
Et hîc & illic ſcrobibus effoßis humum
Cœpere glebas in minutas frangere
Fruſtra: nihil enim fuerat auri conditum:
Illo ſubacta ſed labore vinea,
Vberrima ditauit hos vindemia.
Tum primus horum: Hic ille nimirum, refert,
Theſaurus eſt, quem ſedulus nobis pater
Moriens reliquit, noſter ô fratres labor.

Sua cuique vitæ induſtria inſtar eſt opum.

RVSTICVS VICINVS morti cum relinquere filijs ſuis diuitias non poſſet, voluit excitare animos illorum ad ſtudium diligentis culturæ, & in opere faciundo aſsiduitatem. Accerſit igitur illos ad ſe, atque ita loquitur: Mei filij, quo in loco res meæ ſint videtis. Vobis autem quicquid potui in mea vita comparſi, idque totum in vinea noſtra quærere poteritis. Hæc cum dixiſſet paulò poſt moritur ſenex. At filij, quod crederent in vinea illum theſaurum alicubi

abſcondiſſe, arreptis ligonibus ſolum vineæ vniuerſum effodiunt, ac theſaurum quidem inuenêre nullum, terra tamen fodiendo perculta, vites vberrimum fru-ctum tulere.

Docet fabula, labores & operas, ſummas diuitias eſſe. Et eſt Epicharmea ſententia, labore à Dis hominibus bona venire.

SIMIVS ET DELPHVS.



Mos nauigantũ est, prisco ab vsq; tempore,
Vt nauigationis in solatium
Secum catellos, simiosúe deferant.
Quidam igitur oram fortè præter Atticam
Cum morione nauigabat simio.
Ecce autem atroci concitata turbine
Maris procella, Sunium circa, Atticæ
Insigne promontorium, euertit ratem:
Ibi inter alios naufragos & simio

 Natan-

Natante, quidam Delphus accurrens, eum
Hominem ratus manu ex propinquo prabita
Vndis leuatum, an ciuis eſſet Atticus,
Rogauit. ille ſe eſſe verò, & nobili
Sanè, atq; claro genere dixit editum.
Cum deinde & in Piræeum vnà iſſent ſimul,
Notiſsimum nauale Athenienſium,
Ibi ſciſcitatus Delphus eſt ab ſimio,
Noſſet ne Piræum? arbitratus ſimius
Eum rogare de homine claro quopiam,
Et noſſe dixit, & ſodalem eſſe hunc ſuum.
Quam ob vanitatem Delphus ira percitus,
Tum deniq; illum beſtiam agnoſcens, truci
Salo hauriendum fluctibusq; reddidit.

Qui mentiuntur impudenter, hi ſuis
Refellere ipſi ſe ſolent mendacijs.

SOLEBANT QVONDAM mercatores in longinquis nauigationibus aſſumere catellas melitæas, aut ſimiolos, quorum luſibus tædium nauigandi leuaretur. Quodam igitur Atticam cum ſimiolo præteruecto, non longè à Sunio promontorio regionis illius, vehementiſſima oritur tempeſtas, & inhorreſcit mare, atq;

re, atq; fluctus tanta vi concitantur, vt nauis euerteretur. Disiectis igitur atq; fluitantibus omnibus & rebus & hominibus, nabat in vndis & simius. Hunc conspicatus Delphinus, misertus illius, quod esse hominem arbitraretur, singularis autem amor est erga genus humanum Delphinorum, annatat ad simium, & susceptum euehere ad terram incipit. Iamq; in conspectu erat Piræus, ibidemq; nauale Atheniensium, cum interrogat Delphinus Simium: An esset ciuis Atheniensis. Qui cum respondisset, se & esse ciuem Atheniensem, & in ea vrbe nobilibus parentibus procreatum: Amplius ille, an noscitare posset Piræum, rogat. Tum simius: Optimum ne illum amicum & summum, ac inprimis familiarem, inquit, meum, ratus de homine Delphinum loqui. Quo tam impudente mendacio offensus Delphinus, in mare se demersit, & vanum similum in aquis suffocandum reliquit.

Contra vanitatem & mendacia hæc fabula narratur, quæ sæpenumero gloriosulis non solum detrimento atq; probro, sed etiam exitio fuisse compertum est.

RANÆ DVÆ SITIENTES.



IN ſiccitate & ſumma aquæ penuria,
Ranæ vagabantur duæ,
Sicubi profundis inuenirent vallibus
Aliquid liquoris abditi.
Tandem, reperto puteo aqua pleno, altera
Suadere deſcenſum inſtitit:
Prudentior ſed altera, & conſultior,
Si nos eò demittimus,

Et ibi

Et ibi quoq; , inquit, vnda nos defecerit ;
Quónam modo inde exibimus ?

Negotiorum iubeo ſpectari exitum
Ijs , qui inchoare quid volunt.

INCOLEBANT RANVNculi duo paludem , qua ſideris calore , vt æſtate fieri ſolet, exiccata , relictis ſedibus illis pergebant quæſitum alias. Cumque veniſſent ad profundum puteum : Hic,inquit vnus , commodè manebimus, neque facilè alium locum meliorem inuenire poterimus. Cui reſpondit alter : Placere & ſibi locum , ſed arbitrari ſe, prius quàm illò deſilirent conſiderandum , ſi quo caſu & illæ aquæ receſsiſſent, qua ratione de puteo redituri eſſent.

Docemur hac fabella, nihil eſſe omnium rerum imprudenter aggrediendum , ſed, vt dici ſolet, In principij capite, quaſi pedes finis contemplari vnumquenque debere.

RANÆ DVÆ VICINÆ.



Ranæ duæ inter se propinquis sedibus
Aetatem agebant, altera in via obtinens
Paruam lacunam, deuium stagnum altera.
Sed in æstuosa solis impotentia,
Tum cùm arua radijs, orbitæ feruent rotis,
Admonuit hæc vicinam, vt illum deserens
Periculosum planè, & infestum locum,
Domicilium transferret in stagnum suum.
Illa asserens, sese vnica dulcedine

Eius

Eius teneri, vbi egerat vitam, loci,
Migrare renuit: donec illam transiens
Grauis sonante currus obtriuit rota.

Homines malos plerumq; mors ante occupat,
Quàm criminum vitæq; pœnitentia.

RANAE DVAE VICINA loca incolebant, altera paludem profundam, altera lacunulam iuxta viam, in qua modicum aquæ substiterat. Tum illa paludis inhabitatrix hortari alteram, ad se vt commigraret, vbi multo tutiorem vitam degere liceret. Hæc verò negare se posse auelli à consueto domicilio atque loco. Paulò post, nihil metuentem plaustri rotæ, quod illâ ducebatur, contriuerunt.

Significat fabula, homines in vsu rerum futilium prius fere subuerti, quàm ad meliora vel aspirare velint, vel peruenire possint.

AVCEPS ET CASSITA.



ALitibus laqueos auceps cùm tenderet, alta
Hunc conspicata ab arbore
Quidnam ageret, simplex animi Caßita rogauit.
Condo, inquit auceps, oppidum.
Deinde per insidias, procul inter opaca resedit
Dameta, & vmbras arborum.
Illa, fide verbis habita, vt noua comminus vrbis
Consideraret mœnia

Acce-

Accedens illuc, laqueis fallacibus hæsit.
Redeunte tum ad prædam aucupe,
Heus, inquit, bone vir, si talem extruxeris vrbem,
Paucos habebis incolas.

Principum auaritia, cæcaque libidine læsi
Vastantur vrbes ciuibus.

AVCEPS LAQVEOS DISponebat, & struebat insidias auibus, cuius opera contemplans cassita, quid rei gereretur admirans, accessit propius, & sciscitatur de homine, quid struat. Respondit ille, se vrbem condere. Atque omnibus perfectis, occultat se intra ramos arborum. Cassita ad nouam vrbem aspiciendam celeriter aduolat, & laqueo implicita capitur. Cumque accurrisset auceps, tristis hæc illi: Si tales vrbes condis, inquit, non facilè multos incolas reperies.

Fabula monet, malè coli atque habitari cùm oppida, tum domus, in crudelitate & rapinis principum.

DECE-

DECEPTOR ET APOLLO.



Qvidam olim, vt ipse sibi videbatur, catus
Absconditum passerculum manu tenens,
Ad Delphicum profectus est oraculum,
Hac sciscitatione lusurus Deum:
O' Apollo, passer, quem manu teneo mea,
Dic sedulò, oro, viuus est, an mortuus?
Si Apollo respondisset, illum viuere;
Compressa eum elisurus ipse erat manu,

Statimq;

Statimq́; prolaturus illi mortuum :
Sin mortuum dixiſſet, ipſe dextera
Proferre laxa viuum eum decreuerat.
Sed Apollo prudens, Paſſer, inquit, hic tuus,
Vt tute vis, & viuus eſt, & mortuus.

Mortalium tanta eſt malitia, vt ſe Deum
Ipſum arbitrentur poſſe circumſcribere.

TENTATVRVS APOLLInem, Deorum quidam contemtor & callidus, per ſacerdotem fatidicam illius, in templum venit Dei, vbi omnia pro ritu ſuperſtitionis illius apparata eſſent, occultatum manu ſua paſſerculum cõtinens. Cumq́; ante cortinam, quem τρίποδα Græci vocarunt, aſtitiſſet, ſciſcitatus eſt: Viueret ne an mortuum eſſet, quicquid in manu teneret, ratus ſe facilè in vtranquè partem datum reſponſum refutaturum eſſe. Tum vates de numinis inſtinctu hæc fertur ceciniſſe:


Quicquid

Quicquid id eſt tectum tua quod nunc dextera celat,
Vel viuit, vel iam moritur, noſtriq; videbunt
Alterutrum in prolato oculi: ſed te penes huius
Arbitrium facti eſt, & ad hoc mens noſtra recurrit.

Diſcendum hoc eſt: In rebus diuinis maximè, ſed & erga ſapientes non ferè quicquam valere fraudes & aſtutias improborum.

FELIS

FELES ET GALLVS.



Comprensum felis gallum cum tradere ventri
Ieiuno vellet, iure vt fecisse videri
Posset, & hanc noxam specie velaret honesti,
Accusabat eum, quod peruigili atq; molesto
Turbaret nocturnam hominū clamore quietē.
Defendente illo, sese vtilitatis eorum
Id causa facere, vt moniti aduentantis Eoi
Ad sua quisq; operū studia exercenda redirent:
Hunc rursum is naturæ hostē, infandoq; sororū

Concu-

Concubitu, & matris fœdum, inceſtumq́ vocabat.
Ille excuſabat ſcelus vtilitate, ſuamq́
Hinc multis dicebat heram ditarier ouis.
Tum feles tandem perfricta fronte: Sed etſi
Argumenta tuam defendunt plurima cauſam;
Impaſtus tamen, inquit, ego hinc diſcedere nolo.

Vim qui inferre parat, cupidus, certusq́ue nocendi,
Fruſtra illum ratione premas, aut iure refellas.

FELES, CAPTVM GALLum cum vellet videri iure occidiſſe, accuſare illum cœpit, primùm moleſtiæ quam afferret mortalibus, quibus perpetuam noctem obſtreperet clamoribus ſuis, & quos acquieſcere defatigatos non pateretur. Hoc cum Gallus defenderet, quod illis hac re vtilem ſe operam dare aſſereret, qui ad neceſſaria opera eos excitaret, indicaretq́; his faciendis tempus idone-

idoneum : Te tamen, inquit feles, nullum aliud eſt animal magis impudicum, qui naturæ legibus confuſis, cum matribus & ſororibus te commiſces. Hoc ego, inquit Gallus, ſtudio inſeruio rebus & commodis heri mei, quò plura huic oua pariantur. Cum igitur nullum poſſet afferre crimen feles, quod in gallo adhæreſceret: Tu licet, inquit, cauſſa non inferior eſſe videare, mihi tamen eſurire in animo non eſt, atque ita illum iugulat.

Imago hæc eſt ſuperbiæ atque crudelitatis. Hæc enim vicia, quicquid dicatur aut fiat, iniuſtam vim vrgent, quamuis prætexere ſi quid fortè poſsint facinoribus ſuis, non omittant.

VVLPES VOTA MVTANS.



INitura vulpes cortem opimam diuitis
Pingui refertam genere gallinaceo,
Foramen id, quà transeundum erat sibi,
Cupiebat in penetrando dilatarier.
Rursum inde subreptam ore gallinam efferens,
Cùm iam imminentem horreret à tergo canẽ,
Ne se ille posset insequi, orabat deos,
Vti foramen redderent quàm arctissimum.

Pro

Pro commodis mutare vota homines solent,
Sententiam alternante nunc spe, nunc metu.

VVLPES GALLINIS heri cuiusdam diuitis inhians, foramen per quod cortem genere gallinaceo refertam subitura erat, ingredienti sibi dilatari exoptabat. Paulò post cùm præda potitam insequeretur canis; Deos orare, vt illud ipsum quantum possent arctando angustius redderent.

Docet fabula in discrimen adductos homines, pro commoditate sua, nunc hæc nunc illa optare.

MVSCA ET QVADRIGÆ.



STarent quadrigæ cùm paratæ cursui,
Musca aduolans temoni earum insederat.
Misso ergo signo, illisq́; procurrentibus,
Pulsu rotarum & quadrupedantis vngulæ
Puluerea nubes mota opacauit diem.
Tum in se ipsa musca, gestiens, Dij magni, ait,
Quantam profundi vim excitaui pulueris!

Ridicu-

Ridiculus eſt, qui laudis alienæ decus
Sibi vindicare gloriando nititur.

CVM RVSTICVS DEMESſa frumenta, magno in æſtatis calore per puluerulentam viam plauſtro impoſita deueheret ex aruo, conſedit muſca in manipulo, atque ita vnà ad horreum peruenit. Cum plauſtrum iam ſtaret, & equi ac vector puluere reſperſi acquieuiſſent, prouolat muſca, ac, Deum immortalem, inquit, quantam ego pulueris vim cõmoui!

Fabula narratur glorioſæ ſtulticiæ, & ijs qui, vt ille Thraſo, alieno labore partam laudem in ſe transferunt, & appoſitiſsimè iſtis ſcriptorculis magnorum & doctorum virorum reprehenſoribus, qui ſibi aliquid in illis certaminibus, adhærentes ad excellentiam illorum, videri ſolent.

PICA ET AVES.



CVculum opacis frondium vmbris abditum
Intuita limis pica, & accipitrem rata,
Aëria celeri ſpacia tranabat fuga.
Quam conſpicatæ quæ aſſidebant alites,
Vanum illius terrorem & inſanos metus
Cœpere ſalibus, atque riſu proſequi.
Quibus illa, ego riderier vobis, ait,
Malo, quàm amicis ac propinquis flerier.


Fertur

Fertur facilius quod pudet quàm quod piget.

CVCVLVM ARBORI INſidentem conſpicata pica, accipitremque rata fugiebat. Hanc aſsidentes auiculæ ridere, & inani eius pauori illudere. Tum illa, At mihi irrideri à vobis ſatius eſt, inquit, quàm à cognatis meis lugeri.

Fabula monet facilius ferri ea, quorum nos pudet, quàm quorum pœnitet.

MVRES.



Coactus olim cùm ſenatus murium
Deliberaret, ſæua quo poſſent modo
Cauere felis furta, & inſidias graues:
Decreuit vnus, collo vt aduerſarij
Suſpenderent ex ære tintinnabulum,
Cuius ſonum illum adeſſe perſentiſcerent.
Probare prò ſe quiſq; conſilium; & ſtatim
Cœpere pedibus ire in hanc ſententiam.
Tum ab ſede ſurgens vnus ex primoribus;

Cui

Cui cana vetulas barba velabat genas, *ia-*
Manu silentium imperans, Mihi quoq;
Probatur, vt cui maximè, hæc sententia *e.*
Sed oro vos, quis, inquit, ex nobis pat
Feli ausit alligare tintinnabulum? a quod

Carent periculosa consilia exitu

IN MAGNO C... CVNIAE
mures deliberabant, ... gris, domoque
sidijs sibi cauerent. Hic ... vestimentis venun-
lo, hoc consilij dedit: t ... precio illorum co-
ære appendendum esse ... vnam massam re-
ius sonitu adesse host ... hanc obruit terra.
Comprobato ab om ... um, eodem & ani-
cum vndique iam p... pelijt. Itaq; illò quo-
sententiam: quida... exemplari diuitias suas,
or, Et mihi, inquit, ... intuitu voluptatem.
batur consilium: ... quidam qui propè o-
quis nostrum fel... facere consueuerat, ra-
Significatur ... at, aurum defodisse illic
silia frustrari ex... an auarus satiatus aspectu
... eretur aurum, discessisset,
... ita terra aurum reperit atq;
... auarus, vt solebat, reuerti-
... vidisset quod interea factum
fuerat.

AVARVS.



Coactus olim cùm ſena[illegible] humi defoderat :
Deliberaret , ſæua quo po[illegible]e iret viſere,
Cauere felis furta , & inſid[illegible] ſuſtulit.
Decreuit vnus , collo vt adu[illegible]cuum locum,
Suſpenderent ex ære tintinna[illegible]llum vellere :
Cuius ſonum illum adeſſe perſen[illegible]m.
Probare pro ſe quiſq; conſilium [illegible]a,
Cœpere pedibus ire in[illegible] hanc ſent[illegible]ri locum
Tum ab ſede ſurgens vnus ex pri[illegible]rum puta :

Etenim, vt video, ne tum quidem aurum habere te,
Aurum cùm habebas, iure poteras dicere.

Tam deeſt auaro quod habet, quàm quod non habet.

AVARVS ET PECVNIAE magnus amator quidam, agris, domoque ſua & ſupellectili, ac veſtimentis venundatis, aurum, quod de precio illorum coegerat, liquefactum in vnam maſſam refundit atque redigit, & hanc obruit terra. Quo autem loco aurum, eodem & animum ac cor ſuum ſepelijt. Itaq; illò quotidie venire, & contemplari diuitias ſuas, & magnam capere intuitu voluptatem. Hoc animaduerſo, quidam qui propè operis neſcio quid facere conſueuerat, ratus, id quod erat, aurum defodiſſe illic hominem, cum auarus ſatiatus aſpectu terræ, qua tegeretur aurum, diſceſsiſſet, accurrit, & eruta terra aurum reperit atq; aufert. Mox auarus, vt ſolebat, reuertitur, cumque vidiſſet quod interea factum fuerat,

fuerat, lamentari cœpit miſerabilem in modum, & tenuem vellere capillum, & deos atque homines incuſare. Quem præteriens quidam cum cerneret in mœrorè eſſe maximo, quid acciderit interrogat, & re audita: Heus tu, inquit, ne plora, neúe tantopere afflige animum tuum: Nihil enim, vt videtur, damni feciſti, qui tum etiam, cum haberes aurum, caruiſti auro. Quare nunc repone iſtum in locum ſaxũ quodpiam, tibíque perſuade, ibi conditum eſſe aurum. Nam nihil prorſus interfuerit, neque alterum altero maiori tibi vſui eſſe poterit. Neque enim cum adhuc aurum defoſſum iſtic eſſet, à te vſurpabatur.

Significat fabula, fruſtra poſsideri ea, quibus non vtaris. Neque eſſe fructum diuitiarum, niſi in harum vſu.

VVLPES ET LVPVS.



IN puteum ab alto lapsa vulpes margine,
Iam profundis haurienda aquis erat.
Misera ergo ab aduentante fortè illuc lupo,
Supplex petiuit, fune demisso extrahi.
Ille otiosi more, quærere institit,
Quo lapsa pacto, quo fuisset tempore.
Prius eripe hinc me, dum licet, vulpes ait,
Deinde audies omne ordine vt factum siet.

In re arcta amici ne esse cunctator velis.

DELA-

Delapsa forte in puteum vulpes, cum iam iam aquis absorbenda esset, lupum fortè prætereuntem implorabat, vt demisso fune se retraheret. At ille obambulando ex ea quæritare, quî factum sit, vt delaberetur. Cui illa: Extrahe me, inquit, prius, tum verò rem omnem tibi detexam ab vltimo initio.

Notat fabula amicos cunctantes, cum in mora est periculum.

CANNA ET OLIVA.



De honore firmitatis, atq; virium
Canna atq; oliua litigantes, inuicem
Grauißimas dixere contumelias.
Atque adeò, Tu ne inepta te præponere
Audes mihi, aut certare mecum? oliua ait:
Ego ſtipite inconcuſſa robuſtißimo,
Telluris in profundo radices ago:
Tu caule lento, tanquam olus, ſummo in ſolo
Hæres; & omni obnoxia auræ fluctuas.

Hæc

Hæc illa cum iactaret insolentius,
Tandem immodestis canna parcens litibus,
Silentium egit, tempus expectans suum.
Ecce autem atroci turbine Eurus impotens
Incubuit aruis: cui cùm oliua improuidè
Obniteretur, fracta procubuit solo.
At canna cedens vltrò, & huc illuc leui
Inflexa declinatione spiritus,
Incolumis & superstes aduersariæ,
Grauem eius olim risit insolentiam.

Potentiori non reluctari expedit.

DISCEPTABANT DE FORTITUDINE, robore, & constantia olea, seu quercus (nihil enim refert) & arundo. Cum autem olea siue quercus arundini exprobraret mobilitatem, & quod ad quamuis illa exiguam auram tremeret, tacuit arundo. Non ita diu post, ingruentibus ventis, & resistente flatibus ipsorum vel olea vel quercu, ab horum illa vi eruta & dissipata fuit, arundo autem submissio-

miſsione ſua integritatem conſeruauit.

Fabula oſtendit, laudandos eos magis eſſe, qui tempori ſeruire ſciant, & ſe non opponant valentioribus, quàm eos, qui cum præſtantioribus ſe & potentioribus rixentur atque contendant.

Significatur & hoc, quod Herodotus ſcripſit: Numinis hunc eſſe morem, vt ardua conuellat.

ASINI ET IVPITER.



PErtæſa gens aſinina duras ſarcinas,
Legationem miſit ad ſummum Iouem,
Aliquando vt à tam exercita vita ſibi
Tandem quietem, & otium concederet.
Quibus volens denunciare Iuppiter,
Fieri id nequire , tum quieturos eos
Reſpondit, vbi tantum vniuerſi meierent,
Vti perenne flumen inde exiſteret.
Ex illo aſini, eum exiſtimantes ſeriò

Hæc

Hæc elocutum, vbi alter alterius vident
Vrinam, ibi insueuere vulgò meiere.

ASINI PERPETVAM PONderum & agitationum defatigationem intolerabilem rati, ad Iouem legatos quodam tempore misêre oratum, vt sibi ille succurreret, tantisq; à malis liberaret animalia innocentia. Quibus Iuppiter volens ostendere id, quod peterent, fieri non posse, respondit, desituros onera baiulare asinos, cum mingendo fluuium effecissent. Quo audito, quod ex animo & simpliciter hæc Iouem locutum fuisse crederent, decreuerunt, vbicunq; asinus minxisse alterum animaduertisset, ibidem & ipse vti mingeret, quod & ab illis obseruari ad hunc vsque diem aiunt.

Vult demonstrare fabula, fatis destinata non tolli.

HERVS ET CANIS.



Canem habuit olim quidam: is illum pascere
Cum vellet, id manu ipse faciebat sua:
Cùm verò verberare eum decreuerat,
Seruo suo mandabat illud muneris.
Pertæsus eius vitæ ad extremum canis
Aufugit. Herus huic postea casu obuius
Conuicium ingens fecit, onerauit probris,
Et bestiam appellauit ingratissimam:
Quòd semper ab se pastus, atq; habitus bene,

Nec

Nec verberatus vnquam, herum tam amabilẽ
Relinquere inuixiſſet in animum ſuum.
Tu tu ipſe, tu me verberaſti, inquit canis:
Tibi depilatum tergus hoc miſerum, tibi
Accepta refero facta flagris vlcera.
Etenim quod, imperante te, ſeruus tuus
Faciebat, abs te id eſſe factum exiſtimo.

Aequè eſt nocens qui mandat, atque is qui facit.

CANEM QVIDAM HAbens, quò magis ab illo diligeretur, ſemper cum ſuis paſcebat manibus, ligatumq; ſoluebat. Ligari autem & verberari iubebat à ſeruo, vt beneficia à ſe, maleficia autem à ſeruo, in illum viderentur eſſe collata. Ægrè autem ferens canis ſe aſsiduè ligari verberariq;, aufugit, & cum increparetur à domino vt ingratus, & tantorum beneficiorum immemor, qui ſe fugiſſet, à quo ſemper dilectus paſtusq; fuiſſet, ligatus autem verberatusque nunquam, reſpondit, Quod ſeruus tuo iuſſu facit à te factum puto.

Hæc fabula indicat eos malefactores habendos, qui maleficiorum cauſa fuêre.

CANIS ET CARO.



CAnis ore fruſtum carnium ferens, vado
Tranſibat, amnem. cumq́ contemplanti aquã,
Speciem ampliorem carnium illa redderet,
Verum atque certum obſonium de faucibus
Amiſit inhians illi imaginario.
Deluſus ergo, ſpeq́ fruſtratus ſua,
O' me pecudem, ait, quanta ego imprudentia
Id, quod tenebam, amiſi, vt id, quod non erat,
Capta-

Captarem, & vmbram corpori amens prætuli!

Ne incerta certis anteponantur, veto.

FEREBAT CANIS SECVNdum flumen decurrens raptum alicunde carnis frustum, cuius imago cum in aquis appareret, canis auidus illam, quasi alterum frustum vndis innatans, appetit, sed dum pandit rictum, vt assumat, id quod tenuerat, amittit.

Fabula docet, auariciam, & infinitas cupiditates detrimentosas esse.

ASINVS ET APER.



MAgnanimum cùm ſegnis aprum rideret aſellus,
Ille premens iram, & ſedata mente renidens,
Perge, inquit: nam te tua tutum ignauia præſtat,
Nec tu vnquam tantis potis es me inceſſere probris.
Tam vili vt digner generoſum ſanguine dentē.

Nam

Nam quamuis noxam meritus, dignusq; malo tu,
Nostra indigna tamen sese huc demittere virtus.

Virtutem ne fortè tuam contemptior hostis
Inquinet, vltrices moderare potentior iras.

OBVIAM FACTVS APRO asinus, crebros cachinnos erudens, etiam familiariter illum compellare non dubitauit: Salue mi fratercule, inquit, salue. Quamdiu est, quod te his in locis non aspicimus? Vbinam gentium moratus? & percontari deinde, nunquid afferret noui? Quid narraret? Postremò etiam suam operam illi deferre, & rogare nunquid vellet? Aper cum irritaretur ineptijs stolidi aselli, iratus caput quassans: Non tamen ego, inquit, fatui istius sanguine contaminabo fauces meas, & præterijt, relinquens ignauum & vecors animal.

Fabula duo monet, alterum, vt potentiores veniam interdum dare stulticiæ discant: alterum ne contra præstantes se stolidè humiliores inferant.

PVLLVS ASINI ET LVPVS.



Morbo asinus olim cùm laboraret graui,
Vt adesse mortem rumor increbesceret,
Lupus ore ficto acceßit illum visere.
Quem pullus asini, qui aßidens erat patri,
Per obseratæ ianuæ rimam agnitum
Admittere intrò noluit. sed enim lupus,
Quónam modo se haberet æger, institit
Rogare. Melius, ille ait, quàm tu velis.

Suspe-

Suſpecta meritò ſunt & obſequia hoſtium.

INCREBVERAT FAMA, aſinum iacentem in morbo non procul à morte abeſſe. Veniunt igitur ad domum, in qua ille decumbebat, canes & lupi, & oſtium aperiri, & ſe intromitti ad viſendum ægrotum poſtulant. Sed aſellus paruulus per rimam ianuæ reſpondit: Nihil hoc officio opus eſſe patri ſuo, atq; eum melius etiam valere, quam ipſi vellent.

Simulata & fallacia officia hac fabula notantur.

LVPVS ET GRVS.



Ovem lupo voranti os in gula hæserat,
Medicam vt necesse fuerit accersi gruem.
Ea pacta pretium, penitus in gulam lupi
Collo suo immisso, os molestum sustulit.
De præmio appellante tum lupum grue,
Abi, inquit ille, abi imprudens: sat præmij est,
Collum è lupi quòd faucibus saluum refers.

Homines mali beneficium se existimant
Illis tribuere, in quos maleficio abstinent.

INHAESERAT OS IN FAVcibus lupi, mercede igitur conducit gruem, qui inserto rostro, in rictum suum os de faucibus extrahat. Hoc longitudine colli facilè grus effecit. Cum autem mercedem postularet, subridens lupus, & dentibus infrendens: An tibi, inquit, merces parua videtur, quod caput incolume retuleris de lupi faucibus?

Fabula in eos dicitur, qui seruati de malis, erga salutis suæ autores ingrati repeiuntur.

IVPITER ET COCHLEA.



RECens creatis beſtijs diuûm pater,
Quod quæque primum poſtulauiſſet, dabat.
Tum cochlea impetrauit, vt ſuam ſibi
Domum liceret ferre iunctam corpori.
Interrogata cur onus tam incommodum
Pro munere expetiſſet, Hoc incommodi
Perferre, dixit, malo, quàm arbitrij mei
Non eſſe deuitare vicinos malos.

Vicini-

Vicinitas mala inſtar infortunij eſt.

CVM IVPITER AB EXORdio mundi, ſingulis animalibus munera quæ petijſſent, elargiretur, Cochlea ab eo petijt, vt domum ſuam poſſet circumferre. Interrogata à Ioue, quare tale ab eo munus expoſceret, quod illi graue & moleſtum futurum erat: Malo, inquit, tam graue onus perpetuò ferre, quá, cum mihi libuerit, malum vicinum non poſſe vitare.

Fabula indicat, malorum vicinitatem omni incommodo fugiendam.

SATYRVS ET HOMO.



Satyrus atque homo fuerunt olim amici maximi:
Quorum amorem, gratiamq́ꝫ casus hic scidit repens.
Sæuiente aliquando bruma, cùm manus gelidas homo
Crebrò ad os suum admoueret, calidum agens anhelitum,

Satyrus

Satyrus aſpirationis cauſam ab illo quaeſijt.
Frigidas, reſpondit ille, ſic calefacio manus.
Poſtea, cœnante vtroque, vt ſæpe conſueuerant, ſimul,
Fortè cum veniſſet illuc ferculum feruentius,
Atque homo afflauiſſet offæ quam ſibi deſumſerat,
Denuò cauſam rogatus huius afflatus ſui,
Hoc modo refrigeraui, dixit, eſcam feruidam.
Satyrus hic ira incitatus, Dehinc, ait, tecum mihi
Nulla conſuetudo fuerit, nulla amicitiæ fides,
Qui mihi vno eodemq́ fundis ore calidum & frigidum.

Quem bilinguem noſti, amicum ne tibi hunc adſciſcito.

SATYRVS QVIDAM CVM vehementer algeret, hyberno gelu ſupra modum ſæuiente, à ruſtico quodam inductus eſt in hoſpitium. Admiratus autem cur homo inflaret in manus ori admotas, rogauit cur ita faceret. Is reſpondet: Vt

frigidas manus halitus tepore calefaceret. Deinde vbi extructo foco, apposita mensa, in pultem feruidam rursum inflaret, magis etiam admiratus, sciscitatus est, quid hoc sibi vellet? Vti pultem, inquit ille, nimium feruentem halitu refrigerem. Tum satyrus surgens à mensa: Quid ego audio, inquit, tun' eodem ex ore pariter & calidum & frigidum efflas? Valebis: neq; enim mihi ratio est, cũ huiusmodi homine commune habere hospitium.

Notantur bilingues, qui eundem modò laudant, modò vituperant.

MVRES

MVRES ET FELES.



MVrium vis magna in vnis æuum agebat ædibus:
Qui videntes felis astu se indies absumier,
Hoc suis cœpere rebus remedij, vt excelsissimam
Aedium partem tenerent hosti inaccessam suo.
Quod salubre constitutũ muribus seruantibus,
Hunc vicissim excogitauit callidus feles dolũ,
Vt tigillo prominenti pariete ex domestico,

Applicans pedes ſupinos, capite deorſum pendulo,
Mortuum ſimularet. hunc ſic pendulum vnus murium
Tecto ab alto conſpicatus, Nec ſi, ait, tam mortuum
Te viderem, vt follis ex te fieret, vnquam ſiderem.

Qui cauet ne decipiatur, vix cauet, cùm etiam cauet:
Etiam cùm cauiſſe ratus eſt, ſæpe is cautor captus eſt.

IN DOMO QVADAM MAgna copia murium diuerſabatur. Hoc feles cum comperiſſet, eodem ſe contulit,& venatione atq; captura muſculorum benè aliquantiſper victitauit. Cum autem mures animaduerterent, ſuum numerũ quotidie fieri minorem, & quod à fele conſumerentur, ſtatuerunt ſe intra ſuas cauernulas & ijs in locis continere, in quæ peruenire illa non poſſet. Feles cum mures non

non magis, vt ſoliti fuerant, procurrere videret, ſtatuit fraude elicere, ſeq; quaſi mortua eſſet, de clauo quodam ſuſpendit. Quam conſpicatus forte deſuper muſculus: Heus tu, inquit, ſi te in ſacculum conuerſum eſſe ſciam, nunquam tamen commiſſurus ſim, vt ad te propiùs accedam.

Docet fabula, prudentes non pati ſeſe iterum improborum dolis falli, vbi illorum fraudes ſemel fuerint experti.

VVLPES ET AQVILA.



Vulpes, & aquila amore iuncta mutuo,
Vt amicitia adolesceret vicinia,
Habitare decreuere iunctis sedibus.
Et hæc quidem locauit alta in arbore
Nidum; illa verò in concauo eius caudice.
Ita deinde fœtus vtraq; edidit suos.
Sed enim, profecta vulpe quondam ad pabulū,
Aquila fame incitata, nido deuolans
In lustra vulpis illius natos sibi

Suisq; dulcem rettulit pullis cibum.
Reuersa vulpes, fœditate cognita
Rei, atque rupti indignitate fœderis,
Quantum doloris atque luctus ceperit,
Quamq; impotenti incendio irarum arserit,
Reputare quiuis de suo sensu potest.
Nec verò acerba tam suorum liberûm
Dolebat illa morte, quàm quod aliti,
Terrestris ipsa, non videbatur ferè
Vnquam nocere posse, nec par reddere.
Quod ergo misera poterat, illud scilicet
Faciebat, vt superbam in aduersariam
Probra atque inanes rabida iactaret minas.
Sed non diu est lætata ruptrix fœderis
Sua insolenti iniuria: nam rusticis
Capella in agro fortè sacrificantibus,
Illa aduolans frustum inuolauit carnium,
Cui carbo candens è foco sacro hæserat:
Quod cùm intulisset nido, is occultum aridus
Concepit ignem: dein coorto commodùm
Vento excitata flamma in aquilæ filios
Teneros adhuc & inuolucres sæuijt:
Quos vstulatos decidentes arbore,
Spectante matre, & flente natorum vicem,
Duplici vorauit læta vulpes gaudio.

Qui tenuem amicum lædit, huic si humanitus
Impunè fuerit, imminet vindex Deus.

INIIT QVODAM TEMpore societatem Aquila cum Vulpe, quæ vt vsu familiaritatis confirmaretur, etiam nidos illis vicinos habere visum. Et aquila quidem suum in arbore fixit procera, at vulpes propinquas arbusculas occupauit. Accidit forte, vt paruulis suis relictis domi, vulpes ad quærendum pastum exiret: aquila, cui eo die non fuisset præda oblata, esuriens vnà cum pullis suis, arreptos catulos necessariæ vulpis in suum nidum deportat, & illis sese ac suos exaturat. Reuersa paulò post vulpes, vbi rem gestam cognouit, incredibili dolore affecta fuit, cumq; suorum interitum ferret iniquissimè, tum hoc illam excruciabat, & ita despectam se ab aquila, & vindicandæ tantæ iniuriæ nullam sibi viam apertam esse. Facile enim intelligebat, celeritate illam atq; viribus longè præstare. Fecit igitur quod concedebatur, vt obsequeretur animo suo,

ſuo, & propter arborem aſsiſtens, maledictis & conuicijs non magis iam neceſſariam ſuam, ſed hoſtem capitalem inſectata, Deos ad tam indigni facinoris vltionem aduocauit. Aquila deſuper hæc ridere, & illam contemnere. Non diu autem poſt hæc, cum fortè eo in loco feriæ eſſent ruſticanæ, & exta mactati pecoris adolerentur, aduolauit aquila, vt conſueuerat, ad exta, quæ dum rapit, adhæſit de fauilla & carbonibus aliquid, quo in nidum vnà cum illis delato, & fortè vento exorto, materia qua nidus congeſtus fuerat flamma concepta exarſit, cumq; illa incendio diſsiparetur, delapſi ſunt & pulli aquilæ in terram ſemiuſti, quos tum vulpes inſpectante aquila in ſua dumeta auferens, in magna læticia vindictæ deuorauit.

Fabula hæc docet, perfidos & ſceleratos, quamuis iniurias & vim potentia ſua aliquantiſper defendant, numinis tamen animaduerſionem & vltionem euadere non ſolere: ſecundum Horatianum hoc:

Rarò antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

VVLPES.



Comprensa laqueo in sepe vulpes abdito,
Implexam in euadendo caudam perdidit.
Id ei molestiæ, ac pudori tanto erat,
Vti sibi esse vitam acerbam duceret.
Tandem hoc remedij excogitauit, cæteris
Vt vulpibus suaderet, vt caudas sibi,
Onus molestum, incommodumq; abscinderent:
Ita publico dedecore tectum iri suum.
Ergo aduocata concione vulpium,

Hortari

Hortari ad id vehementer illas institit.
Cui tum renidens vna de popularibus,
An tu, quia istud expedit soror tibi,
Iccirco, ait, das cæteris hoc consilij?

In publicis deliberationibus
Pleriq; tantùm commodis suis student.

ELAPSA VVLPES DE laqueo, sed mutila, nam caudam amiserat, non viuendum in tanta deformitate sibi esse existimans, cœpit in commune suadere omnibus, vt & ipsæ præcidi caudas sibi paterentur: cupiebat enim in turba & societate turpitudinis suum vicium quasi occultare. Quid enim, inquit, has & indecoras, & superuacaneum onus gestamus, vel potius attrahentes defatigamur? Aut cuinam, obsecro, rei vtiles sunt, nisi forte verrendum solum conduximus? Parantem dicere plura, vna de multitudine iuuencula fertur interpellasse his verbis: Heus tu, mea matercula, num fueras hoc suasura

etiam,

etiam, ſi non tibi emolumento futurum eſſe ſperares?

Significat fabula, neque aliorum commoda deliberationibus malorum propoſita eſſe, neque libenter homines ea conſilia admittere, quæ non eorum, quibus dantur, commoda ſpectare atque procurare videantur.

LIGNATOR ET MERCVRIVS.



PRopter amnem ligna cædens, cùm securim rusticus
Fortè lapsam perdidisset in profundo gurgite,
Lacrymans suum dolere cœpit infortunium:
Cui benignam opem misertus obtulit Cyllenius,
Et statim vrinatus, imo ab vsq; fundo fluminis
Auream efferēs securim, num eius esset, quæsijt.
Ille enimuero negauit: proinde rursus quæreret.
Tum

Tũ Deus reuersus alti stagna in amnis infima,
Alteramq́ emersus inde proferens argenteam,
Id quod antè sciscitatus, id quod antea audijt:
Ferream demum securim sedulò expiscatus est;
Quam recepit ille lætus, atque gratias agens.
At Deus, viri probata integritate simplicis,
Auream huic, argenteamq́ muneri vltrò tradidit.
Quæ suis cũ deinde amicis rettulisset rusticus,
Vnus ex ijs cogitauit per dolum ditare se:
Atque eundemmet profectus in locum, quod fecerat
Fortuitò homo ille simplex vt securim amitteret,
Id suapte sponte fecit ipse per fallaciam.
Huic item Deus querenti de securi perdita,
Atque flenti & eiulanti se repertorem offerens,
Cùm securim in amne mersus extulisset aureã,
Haccine est tua amice? dixit. tum ille totus gestiens,
Hæc mea ipsa, ait, profectò est: hæc mea ipsa ipsissima.
Hanc Deus tantam perosus hominis impudentiam,
Tradere auream securim non recusauit modò,
Ferream sed reddere illi propriam eius noluit.

Qui

Qui bonum colunt & æquum, sæpe ditat
hos Deus:
Fraudulentos improbosque sæpe contrà
pauperat.

CÆDEBAT QVIDAM LIgna iuxta fluuium, cui cum inter opus excidisset fortè securis, in flumen delata & demersa fuit. Tum ille inops consilij, in ripa asśidens deflere fortunas suas, & lamentari miserè. Mercurius verò, qui forte præteriens querelas illius cognouisset, misertus hominis, aquas subijt & attulit securim, non eam quidem, quæ amissa fuerat, sed auream, & an hæc esset, quam perdidisset, interrogauit. Qui cùm suam illam esse negaret, extulit alteram argenteam: sed ne eam quidem agnoscente lignatore. Postremò ferreá attulit, quam lętus homo suam esse dixit. Hac probitate delectatus Deus, vniuersas illi secures donat. Ista vt acciderant cùm postea narraret plurimis, vnus in similis euentus spem vocatus, & ipse in præterfluentem securim suam abijcit, & propter eum mox asśidens plorare

atq;

atq; lamentari. Huic, ita vt dudum alteri, Mercurius ſe obtulit,& cauſſa lacrimarum audita, auream protulit ſecurim, interrogans, eáne eſſet, quam delapſam in aquas quereretur. Qui cum magno gaudio ſtatim agnoſcere ſe,& eam eſſe dixit: At Mercurius, mendacem & impudentem hominem auerſatus, & ſe à conſpectu illius, & auream ſecurim vnà ſecum abſtulit, neq; proiectam in fluuium retulit.

Fabula docet, non minus malis deos aduerſari, quàm prodeſſe bonis ſolere. Secundum hoc Sophocleum:

Τοὺς δὲ σώφρονας
θεοὶ φιλοῦσι, καὶ στυγοῦσι τοὺς κακούς.
Etenim probos
Amare dî ſolent, & odiſſe improbos.

FVLLO

FVLLO ET CARBONARIVS.



Fulloni instaret cum carbonarius olim,
Viueret vt secum, atq; habitaret in ædibus ijsdẽ,
Quónam, ait, ille modo, genere in tam dispare quæstus
Tecum habitare queam? nam quæ ipse à sordibus alba
Reddidero, tu rursum atra fuligine tinges.

Ingenij tibi dissimilis consortia vita.

CONDVXERAT PERQVAM ſpacioſas ædes carbonarius, itaq; inuitat fullonem habitantem anguſtius, ad ſe vti commigret. Negauit fullo ſibi hoc faciendum, neq; fieri omnino oportere. Quid enim nobis commercij, inquit, inter nos eſſe poſsit, cum, quæ ego forte eluendo nitida reddidiſſem, ea tu fuligine & maculis repleres?

Docet fabula, diſsimilia non rectè coniungi. Itaq; dicitur & prouerbio veteri, Pares cum paribus facile congregari.

IACTATOR.



Qvidam à peregrinatione longinqua
Domum reuerſus, multa ſtrenuè facta
Ab ſe in peregrinatione iactabat.
Inter quæ, eum ſaltaſſe ſe Rhodi ſaltum,
Quem æquare nullus ex ea vrbe quiuiſſet:
Huiusq; teſtes facti habere ſe multos
Sanè graues idoneosq; dicebat.
Cui tum ex corona quidam, Amice, quid teſtes
Adducis, inquit, cùm probare re poſſis?

 Nam

Nam si vtique verum est, quod refers; fidem nobis
Res ipsa faciat: en Rhodus tibi, en saltus.

Vbi rebus opus est, verba inaniter iactes.

REVERSVS IN PATRIAM quidam suam, vnde aliquot annis abfuerat, in omnibus cœtibus gloriabatur, & iactabat sermone præclara facinora sua: atq; se in insula Rhodo saltando signum fixisse, quod nemo omnium qui adessent assequi potuisset. Huius se habere testes vniuersos Rhodienses aiebat. Tum vnus de circulo: Heus tu, inquit, si vera prædicas, hoc esse loco Rhodum puta, & hîc saltum istum edito.

Fabula hæc subijcit, quod & Demosthenes dicit, vanam esse orationem omnem, quæ rebus deficiatur. Prouerbium autem hoc vsurparunt veteres, in ostentationibus gloriosorum retundendis, vt sic illos increparent: Hîc Rhodus, hîc saltato.

VVLPES

VVLPES ET RVBVS.



Excelſam vulpes ſepem conſcenderat horti:
Vnde gradu inſtabili, & titubante per ardua
planta,
Apprendit caſura rubum, ille infeſtus acutis
Sentibus incautæ pupugit veſtigia vulpis.
Quæ malè multata, & plantas laniata cruen-
tas,
Incuſare rubum, probriſq́; inceſſere cœpit;
Quod ſibi, ad eius opē, quæ confugiſſet in arctis

Rebus, inhumano nocuiſſet barbarus auſu.
Cui rubus; Immò, ait, imprudens planè ipſa
fuiſti
Me apprendendo, alios omnes qui apprendere
ſueui.

Stulti adeo ſunt ſæpe homines, vt rebus
in arctis
Confugiant ad eos, quibus vltrò lædere
mos eſt.

INSILIERAT FORTE IN ſpinoſas vepres vulpecula, cumq; laberetur, ſentes apprehendit, in quibus inniteretur, ab his ſauciata, cùm cruentis pedibus & magno dolore: Siccine, inquit, ſceleratę ſentes, accipitis ſupplicem veſtram? Cui ſentes reſponderunt, Valde eam deceptam fuiſſe, quæ vellet ſeſe apprehendere, cum ipſe apprehendere & retinere alia omnia conſueuiſſent.

Oſtendit fabula, ſtultè facere eos, qui opem & auxilium ab illis ſperent, quibus inſita ſit malefaciendi & iniuriarum voluntas.

VVLPES

VVLPES ET LARVA.



Mimi ingressa domum vulpes, dum singula rerum
Visendi studio, scenæ instrumenta reuoluit,
Formosi laruam simulacrum repperit oris:
Inq; manus sumens, animoq; & lumine lustrans:
O' quàm insigne caput, specie quàm, dixit, honesta,
Sed rationis inops, cassoq; informe cerebro!

Sordet honos formæ, nisi cui sapientia iuncta est.

IN STATVARII OFFICI-nam irrepserat vulpecula, ac contemplando diuersi generis & variæ formæ effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen vna muliebris corporis statua inprimis illam delectabat, ad quam & accedere, & sermonem instituere, & blandissimè alludere. Sed statua immobili persistente, vulpes indignata: Quam formosa, inquit, facies, cerebro caret!


Notantur hac fabula splendidi & conspicui, cùm corpore, tum fortunis, sed stolidi & vecordes. Et videtur autor huius allusisse ad versum Homericum, Οδ. θ. de Venere:

οὕνεκα οἱ καλὴ θυγατὴρ ἄταρ οὐκ ἐχέθυμος.

Filia pulcra quidem huic est, sed mens deficit illam.

CANES

CANES DVO.



CAnis fuit, qui tempore pluuio domi
Se continebat, nec pedem vnquam è limine.
Interrogatus hic ab æquali suo,
Cur id faceret, Ego, inquit, aliâs feruidâ
Perfusus vnda, timeo nunc & frigidam.

Timet innocentem, qui nocentem pertulit.

FVIT OLIM CANIS QVIdam, qui nunquam nisi cœlo sereno domum egrediebatur. Sciscitanti igitur causam sodali suo, respondet, Ego feruida aliquando perfusus vnda, etiam gelidam dehinc formido.

Narratur fabula in cautos suo malo & periculo, quo perterriti, etiam illic, vbi nihil opus est, verentur.

MVLIER ET ME-DICVS.



Lippa olim mulier medico persoluere certam
Mercedem pacta est depulso deniq; morbo.
Is caligantem quotiens curauerat ægram,
Tempore quo nihil vti oculis ea quibat inunctis,
Obuia quæque domo rapiens, exibat onustus.
Iamq; exportatis spoliauerat omnibus illam,
Cùm bene haberi oculi, solitamq; admittere lu-
cem

Cœpe-

Cœperunt. tum demum operæ, remediq́ꝫ salubris
Mercedem medicus cùm posceret, illa recusans,
Deterior nunc est visus mihi, quàm fuit antè:
Quippe domi congesta prius quæ multa videbam,
Nunc quocunque oculos verto, nil conspicor, inquit.

Corrumpunt multi, atque hominum de pectore dolent
Offensis sua sæpe nouis benefacta priora.

LABORANS ANVS EX oculis accersit medicum, mercedemq́; pactam, vt sanitate recepta demum persolueret, conuenit. Medicùs orsus curationem, quotidie collirio oculos pelluebat, & supinam in lectulo cum inunxisset, in tenebris iacentem relinquebat, asportans ipse secum quicquid forte reperisset supellectilis, siue vasculum seu vestimentum mulieris. Quæ cum animaduerteret se spoliari,

liari, & iam recuperato viſu cerneret vacuam relictam domum ſibi, poſtquam acceſsit medicus, mercedem poſtulans promiſſam, nam & eſſe illam ſanam, & ſe iudicium nullorum, quibus notus fuiſſet morbus ipſius, defugere aiebat: Non eſt ita, inquit, medice. Nam priuſquam tuæ artis fortunam ſubirem, conſpicabar paſſim copioſam domi meæ ſupellectilem: Nunc verò ſana, vt ais, nihil prorſus video.

Significatur hac fabula, improbos & veteratores ipſos nonnunquam ſuis dolis implicari & lædi.

ASINVS DOMINOS MVTANS.



OLitori asellus seruiens, quod pabuli
Quàm minimum haberet, ꝙ laboris plurimũ,
Iouem est precatus, vt sibi alium herum daret.
Dedit ille figulum: cui lutum aßiduè ferens,
Durosq́; lateres, tegulas prægraues,
Iniquiore sorte multò quàm prius
Agebat: ergò denuo dominum sibi
Mutare vti liceret, orauit Iouem.

Qu

Quo assentiente, venditus coriario.
Vbi verò acerbam, luctuosam, & perditam
Miser trahebat vitam, onustus fœtidis
Fratrum suorum, affiniumq; pellibus.
Tum triste rudens, Ah quàm, ait, satius fuit
Seruire seruitutem heris prioribus.
Hic enim, vt video, vbi me labore occiderit,
Corium quoq; exercere perget mortui.

Mutare dominum, non nisi in peius datur.

SERVIENS APVD OLItorem asinus, cùm perpetuis laboribus fesso pabulum exiguum præberetur, precibus suis Iouem exorauit, vt illo domino liberatus, ad alterum perueniret. Ita venundatus, nactus est herum figulum. Quo in seruitio, cum & luti & vasorum oneribus grauaretur, minus sibi viuendum putabat, & multò quàm prius maioribus precibus, vt liberaretur, Iouem fatigabat. Ioue igitur volente, tertiò venijt, addictusque fuit cerdoni. Apud quem, cum quæ gere-

gererentur videret: Heu mihi, cum gemitu inquit, quantò priores ſeruitutes tolerabiliores erant! Nam ab hoc intelligo etiam pelli meæ periculum imminere.

Fabula oſtendit, tum maximè homines veterem fortunam requirere, cùm nouam experire cœperint.

CERVVS ET VITIS.



Vim venatorũ fugeret cùm cerua sequentũ,
Frondea ramosæ subiens vmbracula vitis
Delituit: donec iam discedentibus illis,
Se rata iam tutam defunctamq́ esse periclo,
Ipsa suas ausa est morsu exagitare latebras,
Et sibi prætentas auidè decerpere frondes.
Quem motum ramorum, agitataq́ vitea tecta
Conuersi venatores cùm fortè viderent,
Illud opinati quod erat, sub fronde latentem

Eſſe feram, certis miſeram fixere ſagittis.
Quæ moriens, calidoq́; animam cum ſanguine fundens,
Iure, ait, hoc patior: neq; enim vnquam lædere, quæ me
Seruarat, debebam, aut tales reddere grates.

Diuina ingratos homines vlciſcitur ira.

CVM FVGERET CERVA inſequentes venatores, occuluit ſe ſub vite. Venatoribus autem paululum prætergreſsis, quod putaret ſe cerua iam eſſe in tuto, ſecura animi carpere pampinos & mandere cœpit. Quorum motus atq; ſtrepitus venatores conuertit, atq; illi, quod res erat, arbitrati ſub vite beſtiam aliquam latere, accurrunt, & viſam ceruam iaculis configunt. Quæ moriens, Meritò, inquit, hoc mihi euenit, quæ violare non dubitarim ſeruatricem meam.

Docet fabula, vltionem numinis non effugere eos, qui pro beneficijs malefacta rependant.

LATRO

LATRO ET MATER.



DAmnatus morti latro ducebatur acerbæ,
Digna recepturus sceleratæ præmia vitæ.
Cui se in conspectũ mater cùm mœsta dedisset,
Ingeminans tristi miserandas voce querelas,
Ille vt eam affari est permissus, & oscula ferre,
Maternos morsu in vultus inuasit acuto;
Totaq́; fœdauit laceratis naribus ora:
Detestari hominem plebs circumfusa, vocare
Immanem parricidam, atrocissima quæq;

Dicere supplicia, et pœnarum exempla mereri.
Audite, ille inquit, ciues: neu crimine tanto
Indicta causa immeritum damnare velitis.
Exitij mihi namq; caput, pestisq; nefandæ (nis
Causa, hæc sola fuit: mater mihi causa mali om-
Sola fuit, fœdæq; huius mihi mortis origo,
Iam inde vsq; ab studijs, atq; à puerilib. annis:
Tempore quo subreptum æqualis fortè libellũ,
Rerum ignarus adhuc & honesti nescius, ipsi
Exhibui: læta atq; alacri quæ fronte renidens,
Dulcibus excepit furtiuam blanditijs rem.
Inde alijs porrò, atq; alijs per tempora furtis
Succedentia grassatus huic scilicet arti,
Huic vitæ generi assueui, cui triste videtis
Supplicium, sæuaq; crucis tormenta parari:
Quæ facilè euitare mihi licuisset, & esse
Incolumi, ad mores conuersa mente probatos,
Si me hæc materno imperio, flagroq; salubri
Peccantem teneris castigauisset in annis.

Exitium natis parit indulgentia patrum.

ITABAT IN LVDVM LI-terarium puer paruulus, atque illic condiscipulis suas tabellas negligentius asseruantibus, suffurari eas & afferre matri solebat.

lebat. Ea pueri furtis delectabatur, tantum aberat vt ob delicta filium suum castigaret. Itaque ille, quod in pueritia facere assueuerat in paruis, grandior in magnis etiam exercere cœpit. Deprehensus autem quodam tempore in manifesto furto, & capite damnatus, ad supplicium cum duceretur, valde obsecrauit carnificem, vt sibi matris, quam sequi cum lacrymis & eiulatu animaduerterat, compellandæ potestatem faceret: Qua re facilè impetrata, os ille, tanquam arcanam quandam orationem habiturus cum matre, ad aurem ipsius applicat, & mordicus hanc arripit. Quod factum non solùm matre, sed tota etiam multitudine indignè ferente, neque solum vt furi faciente conuicia, sed etiam vt impio, docuit ille, matrem se vltum vt posset, quæ caussa esset illius exitij & ignominiosæ mortis. Si enim, cum quondam, inquit, ad eam pueriles afferebam tabellas, me castigasset, non processissem eò vsque audaciæ, qua nunc ad crucem adigor.

Fabula monet, neglecta delictorum supplicia caussam esse solere, vt illa maiora fiant & cumulatiora.

VATES.



IN populi cœtu, medio priuata canebat
Vates fata foro, & quæ quemq; euenta manerent.
Ecce ſuperueniens ſecuro nuncius illi
Expoſuit, fures per apertas fortè feneſtras
Illius penetraſſe domum, quæq; intus erat rem
Aſportaſſe omnem, & vacuos liquiſſe penates.
Ille gemens, miſtoq; ciens ſuſpiria fletu,
Viſurus ſua damna, gradu ſeſe inde citato
Prori-

Proripuit. cui tum media de plebe facetus,
Cur tu aliȷs, inquit, prædicere fata professus,
Non hæc ipse tibi cecinisti instantia damna?

Qui sibi non sapit, hic sapiens mihi non
erit vnquam.

DIVINATOR IN FORO respondebat consulentibus, cum subitò nuncius illi aduenit, patere fores domus ipsius, neq; intus quicquam reliquum, sed omnem supellectilem esse direptam. Quo perculsus animo ille exiliȷt, & curriculo ad ædes suas contendit. Hunc conspicatus festinantem quidam: Heus tu, inquit, cùm alienarum rerum prædictiones profiterere, cur tuas negligebas?

Notantur hac fabula iȷ, qui cùm ipsi perperam viuant, aliena omnia curare & corrigere oratione sua non dubitant. Simul & hoc Xenophonteum innuitur, τοὺς μάντεις ἄλλοις μὲν προαγορεύειν τὸ μέλλον, ἑαυτοῖς δὲ μὴ προορᾶν τὸ ἐπιόν.

ASTROLOGVS.



OBscura astrologus graditur dum noctis in
vmbra
Intentus cœlo, & tacitè labentibus astris,
Decidit in puteum: casuq; afflictus iniquo
Implorabat opem, diuosq; hominesq; ciebat.
Excitus accessit putei vicinus ad oras
Salsus homo: Et quanam hæc tua tam præpostera, dixit,

Est

Est ratio? nam qui ante pedes quæ sunt sita nescis,
Dissita tam longè profiteris sidera nosse.

Quid rerum causas, naturæq; abdita quæris
Ipse tui ipsius, propriæq; oblite salutis?

CONTEMPLANS QVIDAM noctu cœlum & stellas, in fossam, quam ante pedes traductam non viderat, incidit. Tum alius eadem iter faciens, cum de gemitu illius ac oratione, quod acciderat, cognouisset: Optime, inquit, tu qui os in cœlum erigebas, terram potius intueri debueras.

Fabula ostendit, reperiri quosdam, qui futura prædicere non dubitent, cum quæ ante pedes sunt, non videant. Irridetur Thales à Thressa ancilla similiter apud Platonem, quamuis in laudem hoc Philosophi à Platone conuertatur. Sed sic res se habet, vt ille ait:

Crede mihi, sapere est, non nimium sapere.

LEO ET VVLPES.



Confectus senio leo, cùm iam quærere victum
Venatu, vt quondam iuuenis, non posset, id astu
Decreuit facere, atque artes tentare dolosas.
Morbum ergo simulans, in opaci faucibus antri
Procubuit, gemitusq́; dedit. cumq́; vndiq; ad æ-
Quadrupedes visendũ irent; vt protinus illi (grũ
Quæq́; propinquarat, rictu hãc inhiante vorabat.
Hac demum multis animantibus arte peremtis,
Visendi caussa & vulpes accesit ad antrum:
Atq; à vestibulo ægrotum clamore salutans,
Quomo-

Quomodo haberet, eum cautè officiosa rogauit.
Respondente illo, se verò pessimè; eamq;
Percunctante, aulæ cur non penetrale subiret;
Suscepit vulpes, Quia me vestigia terrent
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsum.

Magna mala ex leuibus vitat mens prouida signis.

LEO SENIO CONFECTVS, cum vires non suppeterent ad victum parandum, callidum cœpit consilium sustentandi vitam. Itaq; in antro, quasi periculoso morbo correptus, decumbens, quod ad ipsum visendum passim animantes reliquæ aduenirent, præhensas illas deuorabat. Atq; ita magna bestiarum multitudine à leone absumta, accedit tandem & vulpecula ad antrum, & ante illud subsistit, hæsitans atque circumspectans. Tum leo, quid cesset, cur non adeat ad se, rogat. At illa, id quod Horatius versibus retulit, respondisse fertur:

Quia me vestigia terrent,
Omnia te aduersum spectantia, nulla retrorsū.

Fabula docet, prudentes ante pericula cauere sibi, & ea signa, quibus mala portendantur, notare, & hæc effugere.

ARMEN-

ARMENTARIVS.



PEr confragoſos fortè ſaltus deuium
Quærens iuuencum errabat armentarius.
Quem cum irrepertum, ab aliquo abactum
crederet,
Hœdum tibi mactare vouit Iuppiter,
Reperire furem ſi ſibi concederes.
Ingreſſus inde proximam ſiluam, videt
Iuuencum ibi ab leone lacerari ſuum.
Tum verò egenus conſilî, ac tremens metu,

Supplex supinas sustulit cælo manus:
Tibiq́;, inquit, hœdum voueram alme Iuppiter,
Si repperissem furem: opimum nunc bouem
Polliceor, eius si manus euasero.

Humana mens, ignara sortis abditæ,
Nocitura sæpe pro salubribus petit.

BVBVLCVS AMISERAT vitulum de armento, quod custodire debebat. Tum ille syluas & solitudines omnes obire, & requirere vitulum. Sed multa opera & labore magno nequicquam absumto, votum Ioui fecit, se hœdum illi cæsurum, si esset sibi fur ostensus, qui vitulum rapuisset. Ibi fortè delatus in saltum, videt leonem, à quo mandebatur vitulus. Ad cuius conspectum ingenti formidine percitus bubulcus, Magne, inquit, Iuppiter, reperto vituli fure hœdum me tibi ex voto debere confiteor, sed nunc opimum bouem à me accipe, & ex illius vi atq; vnguibus me eripe.

Fabula monet, esse quosdam leuis animi homines, optantes temerè quæ fortè concupiuerint, eaque consecuti cùm sint, tum animis angi, & quærere, quomodo amittere possint. Itaque Plato censebat: Nihil à Dijs nominatim, sed ea, quæ profutura illi nobis scirent, petenda esse.

LVPVS

LVPVS ET MVLIER.



ARua cùm ieiunus olim peruagaretur lupus,
Ad tugurium venit, vnde vagientem pueculũ,
Huicq́; matrem comminantem ſanè acerbè exaudijt,
Flere ni deſineret, illum tradituram ſe lupo.
Seriò iſtæc elocutam mulierem ratus lupus,
Iam ſibi expectabat obijci contumacem puerculum.

Multam

Multam in horam sic moratus, rursus audit mulierem
Voce blanda,& ad soporem prouocandum tinnula
Dicere infanti: Bono animo es nate mi dulcißime:
Nam lupum, si raptor ille huc venerit, mactabimus.
Hic lupus tum deniq; omni destitutus spe sua,
Tristis in siluas recedens, Prô supreme Iuppiter,
Alia dicunt, alia faciunt hice mortales, ait.

ESVRIENS LVPVS omnia loca circumiens cibum quærebat: tandem audit intra casam rusticam plorantem puerum, & interminantem matrem, ni desinat, lupis eum se velle proijcere. Lupus eo dicto in spem vocatus, habiturum se cibum, totam diem astitit opperiens, dum puerum mater proijciat. Sed vesperi hæc conciliata puero, eidem abblandiens, & assentans: Mi pupule, inquit, bono animo sis, lupum si venerit obtruncabimus. Tum lupus tristis & deceptus abiens: In ista, inquit, domo aliter loquuntur, aliter sentiunt.

Fabula dicitur in eos, quorum dictis non respondent facta.

LAPSAM

VESPERTILIO ET MVSTELLA.



LApſam ex aëre auem, cui ſero ab veſpere nomen,
Cùm muſtella rapax laniare inſenſa pararet,
Hæc vitæ vſuram ſupplex, veniamq́; petebat.
Olli muſtella ſe parcere poſſe negante,
Quod cunctis natura inimica volucribus eſſet,
Illa implumem aluum lactantiaq́; vbera pandens,

Atque

Atque ita non volucrem, sed murem se esse professa,
Dimissa est sospes, & aperto reddita cœlo.
Hæc eadẽ in rapidos paulò post incidit vngues
Alterius mustellæ: & ab hac quoque mittier orans
Audijt æternum cum muribus esse duellum
Mustellis, proin spem veniæ deponeret omnem.
Illa sed ostentans tenues, pennæ alitis instar,
Membranas tergo hærentes, sese esse volucrem,
Non murem asseruit: dimissaq́ʒ rursus in auras,
Sic commutato bis nomine nacta salutem est.

Non vnam semper rationem insistat agendi,
Qui vitare cupit varij discrimina casus.

VESPERTILIO DELApsa in solum, comprehensa fuit à fele. Quę cum hanc dilaniatura esse videretur, petijt illa suppliciter vitam sibi vt concederet. At enim feles hoc facere posse negabat, quæ esset capitalis hostis omnium auium. Tum vespertilio se non auem, sed

murem esse dixit, Itaq; demissa fuit. Paulò post capta ab alia fele, similiter petijt sibi miseræ vitam relinqui. Ibi felis sibi hoc factu perdifficile esse ait, quæ cum omnibus muribus bellum gereret, vespertilio verò, se murem neqaquam esse affirmare, sed volucrem. Quare iterum periculum euasit, & nomine mutato bis seruata fuit.

Instruit homines fabula ad prudentiam, vt pro tempore & loco mutare consilia discant, omnibus enim proposita conseruatione salutis cum dignitate coniunctæ, non idem semper dici, sed idem spectari oportet. Alludunt ad fabulam hanc ea, quę referuntur à Nonio ex Agathone Varronis: Quid multa? factus sum vespertilio, neque in muribus planè neque in volucribus sum.

APER ET VVLPES.



DEntes retuſos arbore exacuens aper
Satagebat : atq; hunc fortè præteriens via
Vulpes rogauit, cur ſine vlla prælij
Neceßitate acuere dentes tenderet.
Non abs re ego, inquit ille, ſic facio ô bona :
Nam cum ingruit periclum, & aduerſarius
Ad ſanguinis, vitæq; diſcrimen vocat,
Haud ſanè acuere tum vacat dentes mihi.

Itaque otÿ, & ſecuritatis tempore
Arma apparo, ſtringenda cum vſus venerit.

Paratus animo contra iniqua caſuum,
Aut vincet illa, aut fortius certè feret.

VIDENS VVLPECVLA ad truncum roboris acuentem dentes aprum, interrogat illum, quo conſilio faciat, cum nulla vrgeat neceſsitas, neq; bellum inſtet. Cui aper reſpondit: Sibi periculum ſi fortè adeundum ſit, non ocium tum futurum ad acuendos dentes: ergo ſe rectè, dum concedatur tempus, ad euentum pugnæ præparare.

Monet fabula, ad pericula vt nos præparemus.

GALLINA ET HIRVNDO.



GAllina cùm serpentis oua nacta esset,
Ea diligenter fouit, atq; ab ijs fœtus
Exclusit. id præteruolans ea fortè
Hirundo conspicata, Cur, ait, demens
Hos alere tendis, qui vbi adoleuerint, abs te,
Tuoq; capite iniuriam auspicabuntur?

Hominem improbum promoris, ipse te euertet.

GALLINA REPERTA OVA ſerpentis, cœpit ſtudioſè incubando fouere, vt pullos excluderet. Hoc agentem conſpicata hirundo, ſtulta, inquit, cur in hoc fœtu educando operam ponis, qui eductus in te primam omnium iniurioſus eſt futurus.

Fabula docet, prauitatem non manſueſcere, quantumuis benignè tractetur.

CANES DVO ET COQVVS.



Qvidam hoſpitem accepturus, huic conuiuiū
Lautum profuſis apparabat ferculis.
Canis quoq; eius, cùm ſuum æqualem canem
Vocaſſet, in culinam herilem ſubſequi
Se iußit. is tam ſplendidas ſpectans dapes,
Papæ, quot, inquit, hîc voluptates nouæ!
Quantum repentè gaudij oblatum eſt mihi!

Quàm multa video, quamq́ opima fercula!
Quorum omnium iam implebor; & pulchrè satur
Famem vniuerso hoc triduo non sentiam.
Hæc cùm ille secum agitaret, & caudam simul
Motaret alacrem ludibundus, vtpote
Fauore fidens qui vocatoris sui,
Iam delicatas spe vorauisset dapes;
Coquus hunc repentè pedibus arreptum, graui
Emisit altas per fenestras impetu.
Qui afflictus, atq; perditus, flens, eiulans
Cum abiret inde, huic alius occurrens canis,
Vt opiparè cœnatus esset, quæsijt.
Sanè, inquit ille, tam madens, atq; ebrius
Reuertor, ac distentus, vt ne ipsam quidem,
Qua ingressus inde sum, viam animaduerterim.

Qui pollicetur cunque de alieno tibi
Benefacere, huic tu, si sapis, ne fidito.

IN DOMO QVADAM INgens conuiuium apparabatur. Inuitat igitur canis domesticus externum, secum vt epule-

epuletur. Deductus externus in culinam, videt omnium rerum ad victum neceſſariarum ſummam adeſſe copiam, magnas iam vbique lauticias animaduertit. Itaque gaudio plenus: Papæ, quàm opipare, inquit, hîc nunc conuiuabor! tanto ſcilicet me cibo ingurgitare potero, vt ſaturitas poſtridie etiam duratura eſſe videatur. Hæc ille ſecum lætus murmurans, caudam quaſi adulans coco quaſſat, ille vt ab externo metuens, arreptum de feneſtra eum proijcit in viam. Qui cum clamore maximo aufugiens, habuit obuium ſibi notum alterum canem. Hic igitur, qui fuiſſe eum inuitatum forâs ſciret, quomodo acceptus eſſet, interrogat. Cui alter: Ita, inquit, multum potaui, vt ebrius vnde exierim ignorem.

Fabula docet, fidem non habendam ijs, qui de aliorum facultatibus beneficos ſe futuros eſſe policeantur.

SIMIVS ET VVLPES.



Quadrupedum in cœtu cum ſaltauiſſet honeſtè
Simius, hunc ille regem dominumq; crearunt.
Tacta ſed inuidia & ſenſu liuoris iniqui,
Vulpes vafra, nouum inſtituit peruertere regem.
Atq; obſeruatis ad opacum caſsibus antrum,
Huc illum adduxit, tanquam oſtenſura repertũ
Ab ſe theſaurum, qui lege & moribus ipſi
Deberetur vti regi, rerumq; potenti.
Credulus ille dolis inductus, & arte pelaſga,
Inconſultius approperans, in vincula ſeſe

Induit infelix, & opertis caßibus hæsit,
Serò animaduersas fraudes, & perfida vulpis
Consilia incusans. cui vulpes, O bone, dixit,
Tu ne isto malè sano animo, tu sensibus istis
Quadrupedum rex esse audes, sceptrumq; potiri?

Ostendit commissus honos, quàm quisq; probandus.

APVD BRVTORVM ANImalium concilium, simia ita appositè saltauit, quòd omnium ferè consensu rex statim fuit creatus. At vulpes inuidens ei, vbi viderat carnes laqueo in fouea sitas, illuc simiam vt duxit, inquit ad eam: Hic thesaurus absconditus est, qui ex lege pertinet ad regem, quare cum tuus ex lege sit, tute ipse capias illum. Simia vulpis suasu illuc temerè accedens, vt se captam laqueo sensit, vulpem acriter accusat, quæ dolose deceperat, Et vulpes haud illepidè ait: Heus stulta, quæ cùm fortuna te extulisset, dominari cæteris iam te putabas dignam.

Fabula significat, quod qui temerè quippiam aggreditur, temerè in aduersa incidit, ac vulgo ridiculus fit.

VVLPES, ASINVS ET LEO.



Vulpes, & asinus, societate contracta,
Simul in ferarum lustra iêre venatum.
Iis cùm leo occurrisset, ilicet vulpes,
Tanto in metu periculoq́ deprensa,
Suas ad artes malitiamq́ confugit.
Seorsum ab asino nam leone conuento
Atq; impetrata impunitate pro sese,
Ei tradere astu comparem suum pacta est:

Paulo-

Pauloq́ poſt, abſconditos ibi fortè
Improuidum aſinum vafra duxit in caſſes.
Leo, qui videret prædam eam ſibi in tuto,
Prius apprehenſam ventre condidit vulpem;
Dein' verò ad aſinum verſus, hunc quoq́ ab-
ſumſit.

Inuiſus adeo eſt proditor, graues vt det
Ijs ſæpe pœnas, vnde præmium ſperat.

INIIT AMICITIAM CVM aſino vulpes, atque ita communiter exiêre venatum. Cum autem leonem conſpexiſſet vulpecula verita, vt euadere curſu poſſet, calliditate periculum vitare tentat, & ad leonem accedens paciſcitur vitam ſuam pro aſini proditione. Leo tum quidem vulpi vitam promittit: Illa verò in laqueum inducit aſinum, in quo captus cum hæreret, neq; aufugere poſſet, capit prius vulpem leo, atque ita ad deuorandum ocioſè aſinum accedit.

Fabula indicat, quod ſociorum ſuorum proditores ſibi etiam ipſi plerunque exitium accerſant.

FOR-

FORMICA.



Formica, quæ nunc est, homo fuit quondam,
Agro colendo continenter incumbens;
Nec secius, silente nocte, furtiuas
Fruges propinquis sæpe deuehens aruis;
Auidoq; semper omnia horreo condens.
Abominatus Iuppiter, sub humana
Specie ac figura tam nefarium monstrum,
In huius illum membra vertit insecti,
Formica quæ nunc dicitur. sed vt formam

Muta-

Mutauit oris, non refinxit & mores:
Etenim rapinis nunc quoq; arua diuexat:
Et insolentes ex agris agit prædas,
Cupida, & tenax, semperq; parca quæsiti.

Eadem manet natura sorte mutata.

QVAM ANIMANTEM FORmicam nominamus, eam fuisse quondam mortalem humani generis accepimus. Exercuisse autem agriculturam, in cuius assiduo studio & summa cupiditate, vicinis & res & frumenta subtrahere clanculum soleret. Qui cum, vt fit, furi multa quotidie mala imprecarentur, motus tandem Iuppiter communi execratione, in animantem, quæ, vt diximus, formica nominatur, conuertit furacem agricolam. Non tamen vnà cum specie mores quoq; mutati fuêre: nam formica nunc quoq; rura frequentat, & alienos labores ipsa percipit atq; recondit.

Fabula ostendit, naturas prauas immutatas manere in omni formæ varietate.

ASI-

ASINVS ET EQVVS.



Asinus beatum existimauerat quondam
Equum, quòd affluenter ordeo pastus,
Habitusq́ semper eleganter, & lautè,
Cutis nitore, obesitate membrorum,
Curam in se herilem, gratiamq́ præferret:
Cum ipse interim ne vilibus quidem posset
Paleis famem, & ieiuna viscera implere,
Præsertim iniqua sarcina fatigatus.
Sed enim, coorto fortè bellico motu,

Cùm armis opertum hero insidente vidisset
Equum apparari ad pugnam, & acriter sæpe
Calcaribus vexatum in hostium turmas
Agi; vnde vulneratus, & graui casu
Collapsus, animam vix trahebat afflictam;
Sententiam mutauit; & suam sortem
Præ eius miseria rursus haud malam duxit.

Periculosum diuitum statum spectans,
Pauperiem, & arctam disce amare fortunam.

VIDEBATVR ASINO beatus esse equus, qui tam accuratè & copiose pasceretur, cum sibi ne paleæ quidem post maximam defatigationem abundè præberentur. Fortè autem bello exorto, cum in prælium ab armato equus ageretur, & circumuentus ab hostibus, post multiplices labores pugnæ, tandem saucius collaberetur. Hæc igitur omnia conspicatus asinus, quàm paulò antè fortunatum esse equum censuerat, tam miserum & infelicem tum esse iudicabat.

Docet fabula, non esse principatus & opes propter splendorem appetendas, sed in consideratione inuidiæ & discriminum, in quibus principes & opulenti versantur, boni consulendam tenuem fortunam, & mediocritatem vitæ. Itaque & Plato Vlyssis animam elegisse ait vitam hominis priuati, & non negociosi, neglectis omnibus alijs, honoribus & opulentia, potentiaque præclaris.

MONE-

MONEDVLA.



PAstor præhensæ ab se pedem monedulæ
Filo alligauit; atq; eam gnato suo
Puerile qui cum luderet, munus dedit,
Quæ vitam eam pertæsa, cum primum fugæ
Occasio est oblata, cum vinculo auolans
Se in arborem, suumq́; nidum contulit.
Circumuoluto verò ramis vinculo,
Sese expedire ad euolandum non valens,
Cum instare mortem iam videret, Ei mihi,

Lacrymans, ait, gemensq́;, quæ sat commodam
Heri mei grauata consuetudinem,
Me me ipsa libertate, vitaq́; exui.

Incommodorum sæpe leuiorum fuga
In calamitates maximas incurritur.

CAPTAM QVIDAM MOnedulam, alligatam filio deuincto ad pedem illius, donat filiolo suo, cum qua luderet. Illa impatiens humanæ consuetudinis, occasionem nacta in siluas auolat, implicito autem filo arboris ramis, cum iam fame sibi moriendum intelligeret: Me miseram, inquit, & stolidam auem, quæ hominum seruitutem fugiens, in mortem & exitium me coniecerim.

Fabula indicat, quod homines declinantes mediocria mala, in maxima interdum incurrant.

HERVS ET CANES.



Hiberna nimbo continente tempestas
Quendam suo deprendit in suburbano,
Is primùm oues, dein comedit & capras:
Postremò tempestate perseuerante,
Operarios quoq; instituit boues vesci.
Quod vbi canes videre, territi sanè,
Interq; sese clam timore mussantes,
Quantum potest fugiamus, inquiunt: nã qui


Ne operarijs pepercerit quidem bobus,
Nobísne eum putamus esse parsurum?

Caris iniquus, esse cui potest æquus?

IN PRAEDIO SVB VRBE quidam tempestate inclusus, primum ouibus mactatis vitam sustentauit, mox durante illa, ne à bobus quidem aratoribus abstinuit. Quæ cum canes fieri viderent, consilium inter se aufugiendi illinc inierunt, quod non sperare posse viderentur, ibi locorum se tutos futuros, vbi bobus aratoribus non parceretur.

Monet fabula, illos fugiendos inprimis, apud quos ne domestici quidem & necessarij in tuto esse videantur.

AGNVS ET LVPVS.



STans in ſupremo culmine agnus ædium
In tranſeuntem probra iactabat lupum,
Quæcunq; in improbam & voracem beſtiam,
Sæuam atq; ſanguinariam dici queunt.
Olli quieta mente ſubridens lupus,
Non tu mihi maledicis, inquit, ô bone,
Sed iſte, quo confidis, excelſus locus.

Aduerſus homines præpotentes, & graues,
Tenuibus animos tempus addit, & locus.

AGNVS IN DOMO BENE clauſa exiſtens, cum lupum ad ſe venientem perſpicit, illum conuitijs & maledictis perſequitur. At lupus inquit ei, Nō tu, ſed locus inacceſsibilis mihi conuitia dicit.

Fabula ſignificat, quòd locus & tempus faciant timidos perſæpe audaces.

ASINVS ET VVL-
PES.



LEonis olim pelle asellus indutus
Reliquas quadrupedes territans vagabatur:
Vulpi quoq; obuiæ insolenter insultans,
Terrere & hanc tentauit: illa quæ ignauum
Rudentis eius fortè murmur audisset,
Tua, inquit, ista horenda toruitas oris
Graui profectò me pauore complesset,
Nisi, qui leo esses, te rudente cognossem.

Indoctus idem, atque arrogans, suo semet
Sermone & ignorantiam suam prodit.

ASINVS INDVTVS LEOnis pelle, superbè obambulabat, & reliquas bestias territabat. Huic obuiam facta vulpecula, quæ fortè illius vocem audierat, Etiam te ego, inquit, metuerem, nisi te rudere solere scirem.

Fabula docet quosdam indoctos alienis sæpe esse admirabiles, priusquam ipsi stulticiam suam verbis indicent.

ASINVS, CORVVS ET LVPVS.



Exulceratus dorſum aſellus errabat
Per prata: cuius vlcera aduolans coruus
Tundente reſcindebat improbus roſtro.
Rudebat ille, fœda labra diſtorquens:
Crebroſq́ calces præ dolore iactabat.
Morſum vlcerum repetente ſæpius coruo,
Spectaculum ſanè elegans agaſoni
Viſum, vt profuſos ſolueretur in riſus.

Quod intuens è proxima lupus ſilua,
Me miſerum, ait, quem ſi vel eminus tantum
Vident, acerbè perſequuntur; huic verò
Noxam quoq; admittenti amanter arrident.

ASINVS PASCEBATVR quodam in prato, huius in exulceratum dorſum inuolat coruus, & tundit roſtro ſauciam cutem. Tum aſinus igitur rudere & ſubſilire, at agitator ridere, præteriens autem forte lupus, & hæc cernens, O noſtrum infortunatum genus, inquit, quos omnes ad primum conſpectum clamoribus & armis inſectantur! iſti autem, coruum ſignificans, impunè licet aſini pellem pectere, atque inſuper etiam arridetur.

Oſtendit fabula, improbos & damnoſos ſtatim eſſe manifeſtos cùm primùm apparuerint.

MERCVRIVS.



MErcurium ab alto misit olim Iuppiter,
Artificibus medicamen vt mendacij
Misceret. ille diligenter id terens
Ad constitutum mente mensuræ modum,
Circumtulit, partemq́ cuiq; miscuit.
Solus supererat sutor: & medicaminis
Multum etiam erat, quod vniuersum illi Deus
Ipso ebibendum præbuit mortario.
Hinc factum, vt omnis mentiatur artifex,

Sed

Sed ſutor illo in genere præſtet omnibus.

IVPPITER MERCVRIVM iuſsit opificibus omnibus dare potionem medicatam vanitate. Ille oblitus vnius generis, neſcio cuius, miſcuit æqualiter mendacium vniuerſis. Cum autem rocordaretur poſtea horum, quicquid relictum fuerat, id totum ebibendum prius præteritis præbuit. Ideoq; cum omnes opifices multum mentiantur, aliqui tamen putantur eſſe vaniſsimi.

Narratur fabula mendacibus opificibus.

BVBVLCVS ET HERCVLES.



Via in lutosa prægraue hæserat plaustrum,
Mersis ad vsq; axem rotis.
Nihil hic bubulcus prouidere, nec sese
Opi ferendæ accingere:
Tantum sedens, suamq; conquerens sortem,
Magnum inuocabat Herculem.
Cui nube subtus candida Deus, præstò
Fuit, & monere hæc instituit:

Age,

Age, inquit, & tu enitere ipſe per tete,
Atque id, quod in te eſt, expedi:
Stimulo boues, humeriſq́; promoue plauſtrum.
Tum demum agentem gnauiter
Vocatus adiuuabo, vique cœleſti
Humana vota proſequar.

Vigilando, agendo, prouidendo quod poſſis:
Paratur è cœlo fauor.

BVBVLCVS ONVSTVM LIgnis plauſtrum domum agebat, quod cum in lutoſa via & ſalebris hæreret & retineretur, cœpit ille ocioſe aſtans deos deaſq́; in auxilium aduocare, præq́; cæteris, quem maximè propter celebratum vulgò robur colebat, Herculem. Tum illi ſe Herculem conſpiciendum obtuliſſe ferunt, & his verbis corripuiſſe ſtolidam ignauiam ipſius: Rotis manus, ô bubulce, applica, & ſtimulum bobus admoue, & deorum deinde opem poſcito, ne ſi tu ceſſes, dij fruſtra inuocentur. Vnde & prouerbium natum:
Manum admouentes inuocate numina.

Et

Et hoc:

Aliquid & ipse agens fac inuoces deos.

Fabula narratur contra desidiam & pigriciam, & cessationem, in quibus plerunque ignauum vulgus vota facit, & precibus fatigat deos. Itaque & Terentianus Mitio quærit de adolescente: An crediderit speratas nuptias dormienti sibi confecturos deos? Et apud Apollonium Hercules: ἦ δέ τι κῶας, inquit, αὐτόματον δώσει τις ἑλὼν θεὸς εὐξαμένοισι.

MOMVS.



IVppiter & Neptunus, & artibus inclyta Pallas,
Certauere olim, quis eorùm pulchrius orbi
Quid daret. ergo hominẽ speciosum rector Olympi,
Diua domum, salsæ taurum rex edidit vndæ.
Tum Momus iudex accitus, & omnia iussus
Contemplarier, atq; æqua perpendere lance:
Is primũ in tauro reprehendere cornua cœpit,
Quòd

Quòd fronti hærerent: etenim consultius armos,
Acrior vnde ictus foret, armatura fuisse.
Tum sensum mentemq́ hominis sub pectore clausam
Carpere: quanto illā melius potuisse vel extra
Constitui, vel per patulam apparere fenestrā;
Vt meditata eius penitus nouisse liceret.
Postremò damnare domum, vitijq́ notare,
Mobilibus quòd nixa rotis non esset, vt vnà
Cum domino externas proficisci posset in oras,
Vicinumq́ malum effugio vitare parato.

Damnari, carpique etiam rectissima possunt.

NATA INTER PALLADEM, Neptunum, & Vulcanum contentione, quis vtilius opus commonstraret: Neptunus taurum, siue, vt alij, equum velut arationi vecturæque accommodum in primis animal in medium statuit: Pallas domicilium ostendit, cuius vsus contra

iniurias aëris omnes inſeruiret: Vulcanus fictum hominem pro facilè præſtantiſsimo opere exhibuit. Delectus arbiter Momus, præter alia quæ carpſit, cauſſatus fuit in hominis opificio præteritos fuiſſe ab artifice clathros ſeu feneſtellas, pectoris parieti inſerendos; per quos, ne quid occultum lateret intus, introſpici poſſet.

Fabula docet, nihil in vita mortalium tam numeris omnibus abſolutum, tam doctum, tam rectè factum inueniri, quod non innatus Momis quibuſdam calumniandi & carpendi morbus conuellat, aut ſaltem inceſſat: adeò procliuius fuit ſeculis omnibus μωμίζειν ἢ μιμίζειν, id eſt, Momum quàm mimum agere.

ARBORES ET RHAMNVS.



REgnum olim oliuæ detulerunt arbores,
Et valida latè ſceptra gentis frondeæ.
Quibus illa, quæ contenta ſorte eſſet ſua,
O' amicæ, ait, meam ne pinguedinem,
Dis atq; hominibus expetitam, deſeram,
Vt imperem, regniq́; curis macerer?
Ite, oro, & alij ſarcinam hanc imponite.
Reiectæ eunt ad ficum: vti regnet, rogant:
Quæ & ipſa, per ſe læta natiuis bonis,

Egóne vt meam dulcedinem, & suauißimos
Fructus, sapori mellis Hiblæi pares,
Angore mutem, quo hic honos exuberat!
Re rursus infecta hæsitabundæ arbores
Vitem quoq; statuere tentandam sibi.
Ea tum nigranti concolores purpuræ
Vuas onustos explicans per palmites,
Videtis, inquit, has opes, hanc copiam,
Hoc delicatum tot racemorum decus,
Deo vnde, hominibusq́; humor acceptus fuit?
Hæc dona opima, hæc tanta naturæ bona
Vt deseram, vos estis auctores mihi?
Tum verò me omnes omnium stultißimam
Existimarint arborum, si id fecero,
Quo meipsa perdam, cæteris vt consulam.
Hæc illa: at hæ, iam supplicandi tædio
Fessæ, ac labore, Rhamno honorem deferunt.
Elatus ille regio fastu, ac tumens,
Si rex, ait, sum vester, ad me accedite
Omnes, & vmbra sub mea confidite.
Ni id feceritis, rapidus ignis, nemini
Parsurus, ex me erumpat, atq; ipsas quoq;
Excelsiores hauriat Libani cedros.

Alijs præesse optabile ijs tantummodo est,
Libidini seruire qui volunt suæ.

Cum

CVM COIVISSENT ALIquando arbores ad vngendum sibi regẽ, petebant ab olea, vt regnum in arbores capesseret. Quibus illa respondit, non se relicturam suam pinguedinem, cum per ipsam & dij honorarentur, & homines, vt arborum negocia capesseret. Tum illæ ficum cohortari, vt regnum in arbores caperet. Ficus enimuero negare commissuram esse, vt relicta tanta sua dulcedine, tamq́; suaui fructu, arborum negotia capesseret. Tum arbores à vite contendere, vt regnum in arbores susciperet. Sed vitis negauit se relicturam mustum suum, quo & deos exhilararet, & homines, vt arborum negotia capesseret. Tum vniuersæ arbores à rhamno postularunt, vt in se regnaret. Quibus rhamnus respondit, vt, si se bona fide regem ipsis præfuturum vngere vellent, accederent, & sua vmbra cõsiderent: sin minus, exiret ignis à rhamno, qui Libani cedros combureret,

Narratur hæc fabula contra regnandi cupiditatem, qua ij flagrant maximè, quibus animum explere suum est propositũ.

SPES.



Bona vniuersa Iuppiter coëgerat
In dolium; idq́ sanè opertum sedulò
Mortali amico deinde commendauerat.
Is gestiens, quid intus esset, visere:
Cum operculum amouisset, in cælum ilicò
Cuncta euolarunt: spes modò hæsit in labro:
Hinc in bonorum sola defectu omnium
Mortalibus spes alma nunquam deficit.

Quic-

QVICQVID ERAT BONO-
rum Iupiter in dolium congeſſerat, idque
occluſum probè, cuidam quem præ cæ-
teris diligebat, cuſtodiendum dederat.
At iſte geſtiens videre quæ Iupiter intus
conuaſaſſet, remoto incautius operculo,
fecit vt vniuerſa illa bona auolarent, ſpe
duntaxat reſidua, quæ labro vaſis adhæſe-
rat. Hinc igitur mortales in omnium re-
rum deſperatione nunquam ſpe defici vi-
deas.

ASINVS SIMVLACRVM GESTANS.



SImulacrum asellus baiulans argenteum,
Cum id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia est fieri ratus.
Iamq́ insolenti elatus arrogantia,
Nolebat asinus esse, donec aspero
Probè dolatus fuste clunes, audijt,
O stulte, non es tu deus, sed fers deum.

Se norit hominem, qui magistratum gerit.

GESTABAT IMPOSITVM ſibi aſinus, neſcio cuius diui, ſimulacrum: hoc cum adoraretur à prætereuntibus, ille animo elatus, quod ſe adorari putaret, quærere de aſtantibus quiſnam eſſet, neq; enim ſe aſinum eſſe arbitrari. Tum vnus de illis: Tu quidem, inquit, aſinus idem es, qui ſemper fuiſti, ſed nunc diui ſimulacrum geris.

Inſtruit principes & potentes fabula ad moderationem, & vt ſe, ſimiliter ac reliquos homines, eſſe mortales meminerint: Quod autem imperium habeant in alios, hoc eſſe non ipſorum proprium, ſed diuinum bonum, vt ait Homerus: οἵτε θέμιςας ἐκ διὸς εἰρύαται, id eſt, qui regnum acceperint à Deo.

CASSITA.



Ales est caßita, summum pileata verticẽ,
In segetibus nidulari sueta, & oua excludere
Fermè in anni tèmpus illud, filios vt puberes,
Appetente messe, primis instruat volatibus.
Fortè tempestiuiora legit hæc quondam sata:
Itaque flauescente segete pulli adhuc implu-
mibus
Egredi materna tecta non valebant artubus.
Igitur ad cibũ parandũ sata proficiscens foras

Monuit

Monuit hos, ſi quid viderent, ſi quid audirent
noui,
Sedulò vt renunciare cuncta meminiſſent ſibi.
Ecce dominus ſegetis illuc venit, & gnatum
vocans;
Cernis hæc maturuiſſe, & poſtulare iam ma-
nus;
Proinde cras vbi diurnum fulſerit crepuſculũ,
Ito, ait, rogato amicos mutuam, in meſſem
hanc, opem.
Anxij pulli reuerſæ matri idipſum nunciant:
Illa eos eſſe otioſos, atq; ſecuros iubet:
Non enim meſſem futuram, dum ille amicis fi-
deret.
Poſtero die profecta rurſus ad paſtum alite,
Dominus opperitur illos, quos vocari iuſſerat:
Sol inardeſcit: nihil fit: præſtò amicus nullus
eſt.
Tum ille gnato, iſti amici noſtri, ait, ſunt de-
ſides:
Quin ad affines rogandos, & propinquos per-
gimus,
Tempori cras ad metendum præſtò vti nobis
ſient?
Rurſus hoc pulli parenti territi renunciant.

Mater

Mater illos tum quoq; esse sine metu & cura imperat,
Vos modò, inquit, adnotate diligenter omnia,
Quæq; dicentur per illum, quæq; fient denuò.
Alia lux exoritur: ales pabulatum prouolat.
Ille vir bonus propinquos frustra, & affines monet.
Quos iubens tandem valere, filio edixit suo,
Vt duas deferret illuc luce falces postera:
Tu tibi vnam sumito, inquit, alteram ipse sumsero:
Rem geremus Marte nostro, & copijs domesticis.
Hoc vbi resciuit ales, ilicet pullis ait:
Nunc profectò prouidendum est, vos vt aliò transferam:
Nam seges cras demetetur ista certo certius:
Quando is ipse, cuia res est, illam agendam suscipit.

Hoc erit tibi argumentum semper in promtu situm,
Nequid expectes amicos, quod tute agere possies.

Æsopus

ÆSOPVS ILLE E PHRYgia fabulator, haud immerito ſapiens exiſtimatus eſt, cum quæ vtilia monitu ſuaſuque erant, non ſeuerè, non imperioſe præcepit & cenſuit, vt Philoſophis mos eſt: ſed feſtiuos delectabilesq; apologos commentus, res ſalubriter ac proſpicienter animaduerſas, in mentes animosq; hominum cum audiendi quadam illecebra induit, velut hæc eius fabula de auiculæ nidulo lepidè atq; iucundè præmonet, ſpem fiduciamq; rerum, quas efficere quis poſſit, haud vnquam in alio, ſed in ſemetipſo habendam. Auicula, inquit, eſt parua, nomen eſt Caſsita, habitat nidulaturq; in ſegetibus, id fermè temporis, vt appetat meſsis, pullis iamiam plumantibus: ea Caſsita in ſementes fortè conceſſerat tempeſtiuiores, propterea frumentis flaueſcẽtibus, pulli etiam tunc inuolucres erant. Cum igitur ipſa iret cibum pullis quæſitũ, monet eos, vt ſi quid ibi rei nouæ fieret diceretur ue, animaduerterent, idq; vti ſibi, vbi rediſſet, nunciarẽt. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſcentem vocat, &, Vidéſne, inquit, hæc ematuruiſſe, & manus iam poſtulare? Iccirco die craſtino, vbi primum diluculabit, fac amicos

cos adeas,& roges veniant,operamq́; mutuam dent, & messem hanc nobis adiuuēt. Hæc ille vbi dixit, discessit: atq; vbi rediijt Cassita, pulli trepiduli circumstrepere, orareq́; matrem, vt statim iam properet,atque alium in locū sese asportet. Nam dominus,inquiunt,misit,qui amicos rogaret, vti luce oriente veniant & metant. Mater iubet eos à metu ociosos esse: Si enim dominus, inquit, messem ad amicos reijcit, crastino seges non metetur, neq; necesse est hodie vti vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat, dominus quos rogauerat operitur: sol feruit, & fit nihil,& amici nulli erant. Tum ille rursum ad filium, Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt, quin potius imus, & cognatos, affines, vicinosq́; nostros oramus, vt adsint cras tempori ad metendum? Itidem hoc pulli pauefacti matri nunciant. Mater hortatur, vt tum quoq; sine metu ac sine cura sint: cognatos affinésq́; nullos fermè tam esse obsequibiles, ait, vt ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obœdiant, Vos modo,inquit, aduertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta,auis in pastum profecta est: cognati & affines operam, quam

quam dare rogati ſunt, ſuperſedent. Ad poſtremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici cum propinquis: afferes prima luce falces duas, vnam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum noſmetipſi manibus noſtris cras metem⁹. Id vbi ex pullis dixiſſe dominum mater audiuit. Tempus, inquit, eſt cedendi & abeundi, fiet nunc dubio procul quod futurum dixit: in ipſo enim vertitur, cuia eſt res, non alio, vndę petitur. Atque ita Caſsita nidum migrauit, & ſeges à domino demeſſa eſt. Hæc quidem eſt Æſopi fabula, de amicorum & propinquorum leui & inani fiducia. Sed quid aliud ſanctiores libri philoſophorum monent, quam vt in nobis tantum ipſis nitamur, alia autem omnia, quæ extra nos, extraq́; noſtrum animum ſunt, neq; pro noſtris, neque pro nobis ducamus? Hunc Æſopi apologum Q. Ennius in ſatyris, ſcitè admodum & venuſtè verſibus quadratis compoſuit: quorum duo poſtremi iſti ſunt, quos habere cordi & memoriæ operæprecium eſſe hercle puto.

Hoc erit tibi argumentum ſemper in promtu ſitum,
Ne quid expectes amicos, quod tute agere poßis.

VVLPES ET SIMIVS.



ANimalium potius imperio leo,
Ea exulare è finibus regni sui,
Honore caudæ quæ carerent, iusserat.
Pauefacta vulpes, ire in exilium parans,
Iam colligebat vasa. cui cum simius,
Ad regis imperata iam vertens solum,
Non pertinere edictum ad illam, diceret,
Quæ tantum haberet caudæ, vt & superforet.
Verum, inquit illa, dicis; & rectè admones;

Sed

Sed quî ſcio, inter illa, quæ cauda carent,
An me leo numerare vel primam velit?

Cui vita ſub tyranno agenda contigit,
Inſons licet ſit, plectitur ſæpe vt nocens.

IMPERIVM IN ANIMAlia adeptus leo, quæcunque caudata non eſſent, regni ſui finibus vt excederent, edixit. Vulpes igitur hoc mandato territa, ſarcinulis collectis, parare abitum. Hanc conſpicatus ſimius, qui dicto regis audiens & ipſe ſolum vertere parabat: Cur, inquit, exulare ſponte tua vis, quæ præ cæteris caudata, minimè edicto regio teneri videris? Cui vulpes: Verum tu quidem dicis, inquit: ſed quî ſcis, an me rex inter ea quæ caudam non habent, vel primam recenſere velit?

Monet hæc fabula à tyrannidis impotentia nemini ſatis cautum eſſe.

RVSTICVS ET IVPPITER.



Fundum colendum rusticus quondam ab Ioue
Conduxit æqua parte cum illa fructuum,
Hac lege, vt omnem ad ipsius nutum Deus,
Ad rustici, inquam, iussa summus Iuppiter
Plueret, serena faceret, auras mitteret.
Ita deinde fundus sedulò est cœptus coli:
Sata prouenire, & aucta culmis surgere:
Præstante pactas temporum vices Deo:

Et ad

Et ad imperata, nunc citum Fauonijs,
Nunc vuidum exhibente, nunc ſudum aëra.
Fit ecce meßis: qua ſpem hiantis ruſtici
Vanis ariſtis ſterilis eluſit ſeges.
Subriſit, & iacturam eam haud ægrè tulit
Qui templa cœli torquet, & terræ ſola.
Sed ſpecimen vt prudentiæ ſuæ daret,
Vides bone, ait, agricola, quid profecerint
Abs te inſtitutus annus, & cultum ſolum:
Parente ſemper me tibi, & ſemper tua
Obnoxijs ad vota tempeſtatibus.
Nunc ſi placet, videamus annum hunc proxi-
mum:
Tu arato, tu ſarrito, tu occato vt ſoles:
Me ſine ſupernè regere, & arbitrio meo
Ventos ciere, nubilum & ſudum dare:
Mea faxo videas ratio quàm præſtet tuæ.
Hæc Iuppiter. cui cùm annuiſſet ruſticus,
Anno inſequenti verſus ordo temporum
Læto repleuit vacua prouentu horrea.
Ex illo omiſit homo Deo præſcribere:
Boniq́; cuncta, quæ ille præſtat, conſulit.

CONDVXERAT A' IOVE ruſticus agrum quendam colendum, ſed

 ea con-

ea conditione, vt Iupiter dimidium frugum perciperet, ipſe pro cultura partem haberet alteram, vtque pro agricolæ arbitrio Iupiter nunc plueret, nunc ſerenitatem daret, nunc ventos denique concitaret. Pacta, vt conuenerat vtrinq;, ſeruantur, & hic quidem agrum colere ſedulò: ille verò ex coloni ſententia moderari ac mutare tempeſtatum vices. Quid fit? Enaſcuntur ſata, in culmos aſſurgunt, matureſcunt. Facta meſſe, agricolam, quod ille ait: Expectata ſeges vanis eluſit auenis. Illo igitur iacturam ſementis ægrè ferente, Iupiter ſubridens, Vides, inquit, quo prouentu agrum colueris, dum ego ex tuo præſcripto anni tempus guberno: age igitur, ſi ita lubet, quid vterque poſsit ſequenti deinceps experiamur anno: tu pro more tuo opus facito: ego verò pro lubitu meo ventos & tempeſtates moderabor. Ruſticus conditionem accipit, cumque anno rurſus exacto magnam vim frugum collegiſſet, deſijt deinceps Ioui tempeſtatum leges ferre.

Docet hæc fabula, humani conſilij ſolertiam diuina ſuperari prouidentia.

LEO, LVPVS, ET VVLPES.



ÆGrum leonem quadrupedes inuiſere,
Ceſſante ſola vulpe, iam omnes iuerant.
Ibi regis aures credulas nactus lupus
Calumniari & carpere abſentem inſtitit:
Quid eam impedire, quid morari, quò minus
Veniret ægrum regem & ipſa viſere,
Niſi contumacem ſpiritum, & ſuperbiam,
Qua gloriam de rege contemto petat?

Interea ad ipſa iam perorantis lupi
Extrema fermè verba vulpes adfuit,
Ita vt probè omnem vafra rem coniecerit.
Infremuit ira incenſus in vulpem leo:
Quæ ſe tamen graui ex pauore colligens,
Defenſionis impetrato tempore,
Cauſam ſuam eſt exorſa in hanc ſententiam:
Generoſe rex, quis, inquit, eſt ex omnibus,
Quicunq; in hunc coiêre regalem ſpecum,
Qui pro ſalute tam laborarit tua,
Quantum ego? per omnes miſera quæ terras ij,
Omnes medentes, fana conſului omnia,
Vti remedium quærerem regi meo:
Tandemq́; reperi. iuſſa proferre ilicò,
Vt, inquit, inuoluare detracta recens
Et adhuc calente pelle viuentis lupi.
Sanè facile medicamen eſt, inquit leo:
Lupus ecce adeſt: viuentem eum deglubite.
Quo facto, amaris illa cum facetijs
Conuerſa ſemiuiuum ad aduerſarium,
Cur nudum, ait, te in publico video lupe?
An fortè fieri vis palæſtrita è coquo?
Sic eat, herili quiſquis olim gratia
Abuti ad innocentium peſtem volet.


Leonem

Leonem aegrotantem quadrupedum visebant genera, sola vulpe emanente. Inde ansam arripiens calumniandi lupus apud regem nimis credulum, acriter in vulpem inuehebatur; superbia & contemtu summi magistratus eam emansisse causatus. Nondum finem ille criminandi fecerat, cùm derepente vulpes interuenit. Ibi tum fremere leo, & aduentantem toruis adspicere. Vulpecula postquam animum recepisset, facta sibi purgandi potestate: Quis, inquit, ô rex, de eorum, qui adsunt, numero, de tua incolumitate æquè fuit solicitus, atque ego? Etenim discursandi hinc inde, ac corrogandi medicos finem non feci prius, quàm morbo remedium perquirerem tuo. Tum ea confestim iussa exponere, quodnam sit illud: Si pelli, inquit, lupinæ ô rex recens detractæ, & adhuc calenti, insui te patiâre, procul dubio sanabere. Quid obstat igitur, inquit rex ministris, quin pellem lupo ocyus detrahitis, si tam facilis medicina inueniri morbo poscit. Itaque cùm illi ad imperata regis lupum viuentem degluberent, adstans vulpes aduersarium pænè exanimem amarulen-

ter irridere, eiq; dicere: Quid te nudum hîc conſpicor, lupe? An ex coquo palæſtrita factus es?

Narratur hæc fabula contra delatores, qui ad innocentium oppreſsionem gratia abutuntur magnatum.

PATER, FILIVS, ET ASINVS.



Pater senex, & gnatus adolescentulus
Venalem asellum ad proximæ vrbis nundinas
Nulla grauatum præ se agebant sarcina.
Hos intuens qui fortè proximè viam
Arabat, irridere cœpit rusticus:
Quod, vt tenellos pædagogi heros solent,
Ita ipsi asellum feriatum ducerent,
Alter senex planè, alter adolescentulus,

Aetate

Aetate vterque. cui vehiculo opus foret,
Hæc perpulere obnoxium dictis patrem,
Vti iuberet filium conscendere.
Ecce alius illis obuius reprehendere
Senem institit, quòd obsequens nimis pater
Iuuenem atq; validum filium sineret vehi,
Iter ipse pedibus faceret infirmus senex.
Hæc vera visa. hic filio iusso pater
Descendere, ipse insedit vsq; ad transitum
Vici ad viam iacentis. eius incolæ
Notare pro se quisq; cœperunt senem,
Quod adhuc virenti ætate vir, alacer, vigens
Veheretur ipse; at filium tenellulum,
Per tantum itineris, cogeret pedibus sequi.
Hanc ille tantam sustinere non valens
Inuidiam, aselli clunibus gnatum iubet
Post se insilire, atq; onere duplicato vehi.
Ibi tum viator, fortè misericordia
Commotus asini, Valde, ait, vile hoc tibi est
Animal pater, qui id tam sinistrè perdere
Vasta duorum mole tendis corporum.
His ille tot pugnantibus sententijs
Distractus animum, incertus hæsit consilî:
Cum, non inani, non onusto tot modis
Asino per omnes reprehendentum vices,

Sine

Sine lite poſſet aut querela progredi.
Tandem experiri & hanc quoq; placuit viam:
Inter ſupini vt colligatos indito
Pedes aſelli palo, eum ipſi pendulum
Ferrent; ita humeris prægraue attollunt onus.
Tum verò ad illud tam inſolens ſpectaculum
Affuſa multitudo commeantium
Riſu emoriri, inſanum vtrunq; dicere,
Vexare ſalibus, ſed magis multo ſenem.
Tum denique ille ira impotenti percitus,
Præcipitem aſellum in maximam malam crucē
Ab aggere alto in proximum flumen dedit.

Plerumq; qui placere ſe cunctis ſtudet,
Et ſe ipſe lædit, nec ſatis cuiquam placet.

VENVM IBAT ASINVS, quem pater ſenex vnaq; filius adoleſcentulus præ ſe agere, nulla onuſtum ſarcina. Hos conſpicatus qui iuxta viam fundum arabat ruſticus, ſalſè ridere cœpit, quòd neuter aſino inſidens illum quaſi feriatum ducerent, cùm vtriq; opus eſſet vehiculo.

Id ægrè

Id ægrè ferens pater, filio, vt conſcendat, permittit. Paulò poſt alius quidam obuiam ijs factus obiurgat patrem, quod nimis indulgens filio, ipſe ætate & viribus corporis infirmus pedibus iter faceret: filium verò ſatis & ætate firmum, ac corpore valentem, aſino vehi ſineret. Tum ſenex iubere adoleſcentem deſcendere, ipſeque aſello inſidêre. Vtriſque hinc ad pagum vicinum progreſsis, incolæ patrem carpere, quòd ipſe dum vegetus ſenex aſello inſideret, filiumque tenellum pedibus ſequi cogeret. Hîc ſenex inuidiæ impatiens adſciſcit filium à tergo, vnaque ambo aſino vehebantur. Verùm ne ſic quidem reprehenſionum aculeos euitarunt: vix enim conſcenderat filius, cum viator fortè præteriens, atq; erga aſinum miſericordia commotus: Quanto, inquit, ambo infelix animal onere oppreſſum enecatis? Tum ſenex, tam varijs hominum iudicijs diſtractus, animi pendere atque angi, quam tandem rationem iniret producendi vſque ad forum aſellum, ſine obuiantium reprehenſione. Placuit igitur tandem hanc aggredi viam: aſinum quadrupedem conſtrictum, deque haſta pendulum ſuis baiulare humeris. Quo facto,

mirum

mirum quantum concurſum videas vulgi cachinnis & probris natum patremque excipientis, atque ipſos aſino eſſe ſtolidiores vociferantis. Hic verò ira commotus ſenex, è collo in flumen deturbare aſellum præcipitem.

Notatur hac fabula inane ſtudium & contentio eorum, qui placere ſe cunctis ſtudent, contra quos memoratur dictum illud Græci verſiculi: ἀνθρώπων δ' οὐδεὶς πᾶσιν ἁδεῖν δύναται.

F I N I S.

ERRATA TYPOGRAPHICA in C. fabulis ſic corrigantur.

Pagin. 9. v. à fin. 2. repone κώνης. pag. 17. v. 10. Næ. pag. 36. v. 2. βοῦς. pag. 48. v. à fin. 5. habuerimus. pag. 59. v. à fin. 2. Cetera ſis, null. pag. 67. v. à fin. 3. neceſsitudine. pag. 72. v. à fin. 6. ignaro. pag. 91. v. 6. læſis. pag. 117. v. 2. induxiſſet. pag. 139. v. 13. ſuæ. pag. 150. v. à fin. 6. ipſæ. pag. 152. v. fin. 3. οἶ. & paulò poſt ἀτὰρ. pag. 156. v. 10. delent. pag. 186. v. 3. illæ. pag. 187. v. 11. vbi. pag. 196. v. 7. filo. pag. 206. v. 6. recordarentur. pag. 209. v. à fin. 2. οὐδὲ ἢ κῶας. pag. 214. v. 2. Hyblæi. eadem v. 10. fluit. pag. 226. v. 2. potitus. Si quæ præterea occurrent, corrigantur à beneuolo lectore humaniter & benignè.

FABELLÆ

AESOPICAE QVAEDAM NOTIORES, ET IN SCHOLIS VSITATAE,

partim excerptæ de priori editione, partim nunc primum compoſitæ

A'

Ioachimo Camerario.

Anno M. D. XC.

CVM PRIVILEGIO.

LECTORI S.

Non dubito, beneuole lector, quin in pellegendo fabulas has, quas auctor notiores inscripsit, vulgus scholarum minores appellat, desideraturus sis aliquas, quæ in prioribus earum editionibus leguntur. Sed non est quod omißione ipsarum offendaris. Cum enim hîc omißæ, superius Gabrielis Faërni fabulis suis quæque locis sint subiectæ, non visum fuit repetitione superuacanea actum agere, quod vetamur prouerbio. Tu igitur factum hoc voluntatis rectæ & officiosæ in bonam partem accipies, atque vtrarumque fabularum lectione, non minus vtili, quàm iucunda, hilariter & benignè fruêris.

GALLVS REPERTOR VNIONIS.

GALLVS gallinaceus in ſterquilinio, dum fimetum eruit, vnionem reperit. Quo conſpecto: Quid mihi, inquit, tam precioſa re inuenta opus eſt? Me tritici granum oblatum magis iuuaret. Nulli enim vſui mihi eſſe poteſt. Neq; item ego tollere, & honorem ac ornamentum ubi conciliare ſcio. Ita in neutro alter vtilitatem aliquam reperit.

Fabula dicitur, quibus indignis ſæpe fortuna ſplendorem & bona offert, quæ & ipſi ſuſtinere nequeant, & ſæpe etiam infamare ſoleant.

LVPVS ET AGNVS.

STabat ſupra agnum in ripa fluminis lupus, qui cum vellet, ſi deuoraſſet illum, hoc iure feciſſe videri: Cur tu, inquit, toruo vultu & minacibus verbis, ſceleſte, puras vndas inquinas? vt ad me defluant turbidæ. Egóne? inquit timens & trepidans agnus, qui infra te aſtiti, & à quo ad me illa deferuntur. At enim maledicis, inquit lupus, neq; recordare, quam pœnam

ob petulantiam linguæ pater tuus persoluerit ante menses septem? Non ego tum, inquit agnus, procreatus fui. Scin verò, lupus inquit, quàm vastum reliqueris nuper campum omnibus herbis nudatum? Nunquam hoc, inquit agnus, factum reperies: neq; ego omnino, cùm dentibus caream, facere potui. Tandem lupus: Tu quidem, inquit, satis dicatulus es & disertus, ego tamen lautè cœnare decreui: Atque ita correptum agnum deuorauit.

Fabula narratur de impudentia facinorosorum.

MVS ET RANA.

MVs ranam inuitarat, cumq; illa in penum repletum vario genere escarum introduxisset, Mi ranuncule, inquit, pascere hilariter, & exple te præsentibus bonis: nihil enim arbitror te desideraturum omnium, quæ gulæ apta habeantur. Rana inuidens tantam felicitatem muri, quem videret in delicijs summis quotidie viuere, cùm ipsa in limo tabesceret: cupiens illum perdere, gratum simulat animum verbis, muremq; vicissim ad sese inuitat, Sed non, inquit, pari apparatu te excipiam, nostras tamen

tamen etiam opes qualescunq; volo spectes. Cæterum, quia tibi in aquis versari insuetum est, ne quò aberres, filo tuum meumq; calcem alligabo, atq; ita domum nostram deducam. Placebat cõsilium stolido, adque rapam annectebatur: Quæ in paludem desiliens, & profundum petens, illum miserum & serò sapientem, sub vndas periturum vnà trahebat. Qui cum cerneret se suffocandum: Ego quidem, inquit, tam indignam mortem vlcisci non potero, hoc tamen scio, vltōre me non cariturum. Rana eo sermone nihil mouebatur. Post breue tempus, super aquas murem natantē miluius videt, quem dum in cibum sibi aufert, appendentem etiam ranam attrahit, & viuam post murem dilaniat.

Hanc fabulam alij ita exponunt, vt narrent, bellum quodam tempore gessisse murem cum rana, atque fuisse insidiatum murem, huius autem insidias repulisse ranam viribus suis. Cum autem vterque in alterum vt hostem intentus, nihil præterea cogitaret aut metueret, inuolasse in bellatores miluium, & correptos ambos illos deuorasse.

Fabula hac subijciunt atq; monent, non

pati Deum sceleratam audaciam esse impunitam, & hanc esse factionum naturam, vt per ipsas ad interitum ac perniciem ciuium via aperiatur externis hostibus.

De cane & frusto carnis.

Ferebat canis secundum flumen &c. vide suprà pag. 119.

LEO, IVVENCA, CAPRA, OVIS.

SOcietatem iunxerant Leo, Iuuenca, Capra, Ouis. Parta autem præda, in portiones æquales quatuor diuisa, Leo, prima, ait, mea erit: Debetur enim hæc præstantiæ meæ. Tollam & secundam, quam meretur robur. Tertiam vendicat sibi eximius labor & defatigatio mea. Quartam qui suam esse voluerit, is sciat, se habiturum me inimicum. Quid facerent imbecilles bestiæ, aut quis refragari leoni, vel illum infestum habere sibi vellet? Vniuersam igitur ipse prædam solus tenuit.

Hac fabula docemur, ijs, qui potentum consuetudine implicentur, & insolentiam horum ferendam esse.

Lupus

Lupus & Grus.

Inhæſerat os in faucibus lupi, &c. ſup. pag. 125.

Agricola et Angvis.

REpertum anguem frigore penè mortuum agricola miſericordia motus, fouere ſinu, & ſubter alas recondere. Anguis recreatus calore, vires recepit, ac confirmatus, agricolæ pro merito ipſius ſummo, letale vulnus inflixit.

Fabula demonſtrat eam mercedem, quam rependere pro beneficijs mali conſueuere.

Aper & Aſinus.

Obuiam factus apro &c. ſup. pag. 121.

Dvo mvres.

OLim mus ruri genitus & educatus, vrbis alterum murem incolam & habitatorem ad ſe inuitauit, eumq; deductum in nequaquam ſplendidum cauum ſuum, quamuis eſſet ætate & cura ad rem attentior, accipit tamen liberaliter, neq; in ſua paupertate quæſitis parcit, ſed omnia pro-

mit benignè & libenter. Apponit igitur hoſpiti cicer, quod pridem ad feſtos dies celebrandos & lautiores epulas ſepoſuerat. Subſternit illi auenam, vuarumq́; pleroſq;, ſed & alios quoſdam acinos aridos profert: tum etiam fruſtula ſuccidiæ. Cupiebat enim omni ratione opiparâ cœnam dare hoſpiti, & varietate vincere ſingulorum faſtidium. Atque hic ſuperbè & contemtim arrodere dapes, cum paterfamilias ipſe in recenti palea accumbens, farre & lolio paſceretur, & cibos vnctiores magisq́; delicatos relinqueret hoſpiti. Qui tamen neq; ſtudium, neque voluntatem illius boni conſulens: Quæ, inquit, ſtulte dementia eſt? vt hæc ſola loca ſiluarum atq; montium incolere in omnium rerum penuria libeat? An non venit in mentem tibi mortalem vitam omnibus animantibus naturam eſſe largitam? in qua, dum durat, ſi tibi benefacias, tamen eſſe hoc haud longinquum: Si verò occaſionem iſtam amiſeris, nunquam in morte poſtea eandem oblatum iri. Quod ſi te fortè miſeriæ, & famis, atq; huiuſce cultus, & victus aſperi pœnitet, age in vrbem te mecum, & ad homines confer, vbi in ſumma copia degere, & maximis voluptatibus

perfrui

perfrui poſsis. Mouêre iſta animum ruſtici muris, & mox, imus igitur, inquit. Profecti igitur, cùm ſtrenuè reptaſſent, venêre tandem ad vrbem:

Iamq́; ferè mediam cæli nox humida metam
Contigerat, fuſiq́; vrbis per mœnia cuncti
Conticuêre, ſopor feſſos complectitur artus:

Cum domum ſubeunt hominis diuitis, & omnium rerum copia abundantis, in qua manebat vrbanus muſculus. Atque ibi inductus ruſticus in triclinium collocatur ſuper auratos eboratosq́; lectulos, qui purpuratis & conchiliatis veſtibus eſſent inſtrati. Ipſe de reliquijs, quæ erant variæ & multiplices, agitati pridie illius diei conuiuij, afferre ſedulò belliſsima quæq;, & miniſtrare ſtudiosè hoſpiti, vtq́; hilarè veſcatur ijs, quæ maximè placeant, hortatur. Ruſticus inter hæc beatum ſe putare, & in ſumma lætitia lautiſsimis cibis ſeſe replet, eamq́; vitam expetendam, ſuam miſeram eſſe prædicat: cum ſubitò fores ſtrepunt, & cardines ſonant, hominumq́; & canum voces exaudiuntur. Ibi conuiuæ muſculi diſcurrere & trepidare: inprimis autem ruſticus, cui, vt externo, omnia eſſent inſueta & ignota, tandem reddito ſilentio, & turba ſedata, tremens toto cor-

pore & ſubſiliente corde ruſticus: Non mihi placet hæc vita, & vale, inquit, amice. Ego intra ſiluas & montes ad tenuem victum & eruilias meas reuertor. Malo enim in ſecuritate pauper, quàm in opulentia maxima ſolicitus ſemper & anxius viuere.

Docet fabula, optimum eſſe, vt quiſque ſua ſorte contentus viuat, neq; ſplendore fortunæ ad curas & anxietates occultas, inuitari ſe patiatur. Hanc Horatius fabulam copioſe verſibus deſcripſit, libro 2. Satyra 6. quem locum nos quaſi reddere ſtuduimus expoſitione noſtra.

AQVILA ET CORNIX.

Ferebat vngulis teſtudinem aquila, quã roſtro ſæpe fruſtra tundebat, perfringere enim non poterat. Huic occurrens cornix: Conſilio, inquit, opus eſt hera: non enim vires omnia conficere poſſunt. Puto enim & te audijſſe quod fertur:

Conſiliũ eſt melius, quàm vis, cùm ligna ſecãtur.
Conſilium incolumem ſæua inter flumina nauem
Ventorum, motis pelagiq́; gubernat in vndis:
Conſilio celeres ſuperantur in æquore currus.

Conſilio igitur & ratione tu quoq; potiere

tiere eſca intra teſtam abdita,non vi.Quid igitur ſuades, vt faciam? inquit aquila. In altiſsimas cœli plagas ſubuolabis, inquit cornix, atque inde demittes in hanc rupem teſtudinem,ita afflicta ad ſaxum rumpetur teſta, & caro nudabitur. Paruit aquila, & ita, vt cenſuerat cornix, fecit, ac teſtudo quidem comminuta, ſed cibo aquila fraudata fuit. Nam priuſquam illa deuolare poſſet, cornix deuorauerat omnia.

Docet fabula, calliditatate conſiliorum munitiſsima quoq; expugnari.

De Coruo & Vulpe.

Suſtulerat coruus alicunde caſeum &c. ſup. pag. 44.

Leo senex.

LEo confectus ſenio vix debilia membra trahens,amiſsis viribus ab animantibus reliquis non modò contemtus, ſed vltrò etiam appetitus fuit vſq; adeo, vt aſellus etiam inertiſsima beſtia, calce ferire miſerum non reformidaret. Tum fortunam ille deplorare ſuam, & meminiſſe, quantò olim robuſtiſsimis quoq; beluis terro-

terrori fuiſset, qui nunc ea contumelia conſumto robore, afficeretur.

Fabula potentes & honores atque magiſtratus conſecutos hortatur, vt ita ſe in illis gerendis teneant, ne cùm vel fortuna mutata, vel hi depoſiti fuerint, alijs ipſi ludibrio ſint.

Asinvs et Catvlvs.

Videbat aſinus amanter complecti patremfamilias catulum, qui inſiluerat in gremium illius. Idem & ipſe igitur ſperans, ſi pariter aſſultaret domino, euenturum ſibi: in illum ſe infert, &, vt rebatur, abblanditur hero. Sed hic ineptias & peruerſum ſtudium repulit, & fuſtibus correxit ſtultitiam illius.

Docet fabula, ne affectemus ea, quæ natura negauit, neúe obtrudamus inuitis officia noſtra.

Leo et Mvscvlvs.

Laſciuè diſcurrentes circum leonem dormientem muſculi, vnum ita agitauere incurſione ſua, vt in dorſum beſtiæ deferretur. Qui à leone captus, deprecari vitam ſuam, & excuſare imprudentiam facti.

facti. Leo etsi erat commotus, ignouit tamen musculo; & tam contemtum animalculum inuiolatum dimisit. Paulò post incautius prædam vestigans, in laqueos incidit, quibus astrictus rugitum maximum edidit, ad quem procurrens musculus, cernensque in vinculis eum, qui sibi dudum vitam petenti concesſiſſet, gratiam pro beneficio relaturus, accedit ad làqueos, & illis corrosis, leonē omni periculo liberat.

Docet fabula, & nullius exiguitatem atque impotentiam spernendam, & gratiam beneficijs referendam esse.

Coruus.

Coruus graui morbo &c. sup. p. 29.

Hirundo et Auiculæ.

CVm linum sereretur, monuit reliquas auiculas hirundo, secum vt eruerent semina, de quibus relictis, exoritura esse herba nocentiſsima auium generi. Sed hoc illis cum non probaretur, rursus enatam primùm & teneram herbam vt euellerent, hortatur. Cum verò neq; hoc facere vellent, ipsa de siluis & solitudinibus ad ho-

ad hominum consuetudinem, & in oppida se contulit. Paulò post maturum linum carpitur, & retia nectuntur, & capiuntur auiculæ, serò deplorantes neglectionem salutaris consilij.

Fabula ostendit, verum esse, quod dici solet: Qui consilium bonum respuat, eum accersere perniciem sibi.

De Ranis et Iove.

PEtijsse quodam tempore à Ioue ranæ dicuntur, sibi vt regem præficeret. Exoratus Iupiter, trabem ingentem in lacum deiecit. Quo sonitu turbatæ ranæ, refugere primùm, mox tamen speculari, quid accidisset. Cumq; trabem aspicerent natantem in aquis, subitò in illam inuasere, cum magno contemtu, & per risum salutant, appellantes regio nomine. Tum Iupiter immisit illis anguem aquaticum: Hydrum vocant. A' quo cum capti manderentur, serò stulti voti dementes ranunculos pœnituit.

Fabula monet, ne cui fortuna libertatis vsum concessit, is seruitutis iugum induat.

Milui-

MILVIVS ET COLVMBÆ.

Miluij metu accipitrem aſſciſcunt columbæ, à quo defenderentur. Accipiter admiſſus, & quaſi contumaces caſtigans, plus ſtragis vno die in columbari edidit, quàm longo tempore euolantibus dare miluius potuiſſet.

Indicat fabula, malorum & crudelium patrocinia eſſe cruenta.

FVR ET CANIS.

Fur allatranti cani offerebat panem. Cui canis: At nunc ego, inquit, ſatiatus, cum tu domum noſtram compilaueris, me ſilente, vnde mihi mox cibum petam, aut quomodo ſedabitur fames mea?

Fabula docet, cauendas fraudes fallacium, neque facta illorum, ſed conſilia ſpectanda eſſe. Referri & ad illud poteſt, quod à Iuriſconſultis memoratur:

Tolle voluntatem, nec erit diſcrimen in actu. Quæ ſententia in conuiuio Platonis elegantiſsimè memoratur. Expoſita & à Gellio lib. 17. cap. 20.

SCROFA ET LVPVS.

Acce-

ACcedens ad ſcrofam parturientem lupus, obſtetricis ſe munere functurum pollicetur. Cui ſcrofa, metuens ſucculis ſuis, ſi ederentur lupo præſente: Imò tu obſtetricem, inquit, adducito, nam pudore prohibeor, quo minus in tali re virili miniſterio vtar. Atq; ita ablegato lupo, eniſa numeroſum fœtum, in tuto hunc collocat, & paulò pòſt reuerſum lupum deridet.

Fallacium iniurias ſæpe fallacijs repelli, docetur.

Mons partvriens.

MOns tumens & ingemiſcens, quaſi partus inſtaret, maximos metus & terrores incuſſerat humano generi, cum ſubitò mus prodijt. Itaq; anxietas hominum in riſus euaſit.

Indicat fabula, expectationem ſingularem ad maximas ſæpe nugas recidere. De qua re in prouerbio dici Horatianus verſus ſolet:

Parturient montes, naſcetur ridiculus mus.

Canis et senex.

Bona & laudabili opera canis perſtrenui vſus aliquantiſper venator fuerat. Defici-

Deficientibus autem iam viribus, & debilitatis membris, nihilo ſecus ille tamen ab hoc alacritatem & curſus priſtinos requirebat, & verbis atq; verberibus ceſſantem vrgebat. Cui canis: Quàm citò oblitus meritorum meorum, inquit, ita in me ſæuus es, neque mihi prodeſt quicquam, quod benefecerim, cum facere poſſe deſierim.

Fabula reprehendit hominum prauitatem, in beneficijs obliuiſcendis. Dicitq; idem, quod verſus Homericus: Οὐκ ἔστι χάρις μετόπισθεν εὐεργέων: Id eſt, benefacti gratia rara eſt. Itemque Ouidianum hoc: Nil, niſi quod prodeſt, carum eſt.

Lepores et Ranæ.

Lepores quondam in conuentu de miſeria & fortuna infelice vitæ ſuæ conquesti, quod & à beſtijs illi & ab hominibus impugnarentur: nam & canibus & aquilis, & omnibus propemodum feris carniuoris ſeſe direptioni & prædæ eſſe, tum ſibi mortem vltrò conſciſcere velle decreuerunt. Statuebant enim, multò eſſe ſatius ſemel interire, quàm ſempiterna

formidine agitari. Itaq; re probata vniuersis, ad proximam paludem cuncti impetu maximo ferebantur, vt in aquis demersi suffocarentur. Ranæ autem, quæ fortè in herbis iuxta paludem enatis incubabant, incursione leporum territæ, subitò omnes in paludem se fugientes demisere. Tum vnus inter lepores, vt reliquis sapientior: State, inquit, socij, neq; in vos ipsos grauius quicquam consulite. Nam nos quoq;, vt videtis, quædam animantes metuunt, quas scilicet esse miseriores nobis oportet.

Fabula ostendit, afflictis aliorum miserias solatio esse.

Exponitur autem ab alijs hæc aliter, hoc modo: Excitari sæpe periculis animos, & quid quisq; posſit, in discrimine demum intelligi. Hæc narratio est talis: Territi lepores siluarum strepitu, incitatiſsimo cursu aufugiebant illo de loco, fugientibus obstitit palus, in quam demergerentur trepidæ ranæ. Tunc vnus natu grandior, Cùm tanta, inquit, sit velocitas pedum nostrorum, cur non potius murmura illa siluæ contemsimus, quàm metuimus?

LVPVS ET HOEDVS.

Exiens

EXiens in paſcua capra, imperat hœdo, ne cui caulæ fores ante veſperam pandat. Vix fuerat profecta, cum aduenit lupus,& in quantā exilitatem poterat,deducit vocem, vt capræ ſimilis videatur, & aperiri ſibi poſtulat. Cui hœdus, fraude intellecta: Imberbes, inquit, animantes admitti mater vetuit.

Docet fabula, ſalutem conſeruari iuuentutis, obſequio & obœdientia parentum & magiſtrorum.

De Cervo et Ove.

PEtebat ab oue debitum frumentum ceruus, idq́; teſte lupo. Ouis territa fatebatur à ſe deberi illi frumentum, & præfiniri diem paſſa eſt, qua perſolueret. Ea cum aduenißet, inſtanti ceruo, vt frumentum curaret ſibi afferendum: Quare, inquit ouis,mi cerue,in granarijs diuitum: nam mihi nullum eſt conditum domi meæ. Promiſiſtin', inquit ceruus, te hoc die redditurum mihi frumentum,confeſſa deberi? Ita factum, inquit ouis, tum pelli metuebam meæ.

Fabula docet, quod vi geſtum contractumq́; ſit, ratum haberi non oportere.

ANGVIS ET AGRICOLA.

IN veſtibulo agricolæ cauerna erat, quã incolebat anguis: hic puerum illius paruum, à quo non prouiſus calcatus eſſet, ictum veneno ſuſtulit, atque conſcientia facinoris in cauernam ſtatim ſerpendo ſe recipit. Pater dolore maximo ob mortem filij affectus, bipennem arripit, & ante fauces cauernæ aſsiſtit, obtruncaturus proſerpentem anguem. Hic verò, cui in memoria hæreret perpetratum facinus, egredi cautè, & prius circumſpicere omnia. Sed agricola vindictæ cupiditate feſtinans, plagam in anguem vix dum apparente capite ſumma vi infert. At hic celeriter illud reducit, & mortem ſubterfugit, & bipennis in ſaxum impacta, ſignum impreſsit iræ & indignationis agricolæ. Paulò poſt hortante vxore illius, cum angue vt reconcilietur, apponit ante cauernam panem & ſalem, & euocat anguem ad componendam pacem. Cui anguis: Nulla, inquit, firma pax fieri poterit, donec & buſtum filij tui, & iſtud ſignum tam violentæ plagæ in ſaxo apparuerit.

Significat fabula, non obliuiſci homines, neque deponere odia ac cupiditatem

tem vindictæ, quamdiu vestigia extent malorum, quibus affecti fuerint.

Vvlpes et Ciconia.

VVlpes ciconiam cum inuitasset, apponit illi iusculum in catillo: hanc ipsa liguriens, hortatur per iocum ciconiam, ipsa quoq; vt vescatur, & boni consulat, quod appositum sit, præsentiq́; copia fruatur. Quid faceret ciconia, quæ se fraudari cibo, derideriq́; cerneret? Nihil igitur, inquit, requiro, & curata omnia sunt lautè & abunde. Sed vt gratia tibi referatur, venies ad me quoq; cœnatum perendie. Quid opus est, inquit ludificans vulpecula? Nolo te mea caussa sumtus facere. Cur, inquit illa, tam grauatè? Promitte verò. Fiat, inquit vulpes, etsi aliò vocata est opera. Abit ciconia, & vasculum sibi parat vitreum oblongum, & collo angustiore, in quod opiparas & delicatissimas escas indit, & vulpi, quæ ad cœnæ tempus affuerat, proponit. Tum ipsa glutire bellissimos cibos, iubereq́; vulpem edere, & paratis libenter vti. Vulpes se benignitate acceptam videns ea, qua nudiustertius ciconiam ipsa accepisset, Nihil,

inquit, diſcedens, queror. Nam qui alios fallere volunt, ipſos quoque falli interdum oportet.

Oſtendit fabula, circumuentiones & dolos plærunque reuerti ad auctores illorum.

VVLPES.

IN ſtatuarij officinam irrepſerat vulpecula, ac contemplando diuerſi generis & variæ formæ effigies, magnam voluptatem capiebat. Inter omnes tamen vna muliebris corporis ſtatua inprimis illam delectabat, ad quam & accedere & ſermonem inſtituere, & blandiſsimè alludere. Sed ſtatua immobili perſiſtente, vulpes indignata: Quàm formoſa, inquit, facies cerebro caret!

Notantur hac fabula ſplendidi & conſpicui cùm corpore, tum fortunis, ſed ſtolidi & vecordes. Et videtur auctor huius alluſiſſe ad verſum Homericum Oδ. θ. de Venere.

Οὕνεκα ἡ καλὴ θυγατὴρ, ἀτὰρ οὐκ ἐχέθυμος.

Filia pulcra quidẽ huic eſt, ſed mens deficit illã.

DE CORNICE SVPERBIente aliarum auium pennis.

Corni-

COrnicula collectas pennas de reliquis auibus sibi commodauerat, & superba varietate illa, reliquas omnes præ se auiculas contemnebat. Tum fortè hirundo notata sua penna, aduolans illam aufert, quo facto & reliquæ postea aues quęque suam ademêre cornici: ita illa risum mouit omnibus, furtiuis nudata coloribus, vt ait Horatius.

Significat fabula, commendicatam speciem neque diu durare, & perleui momento dissolui.

Mvsca et Formica.

PRæferens se formicæ musca, illam abijcere verbis, & se extollere. Vide enim, inquit, quanta sit humilitas tua. Caua loca terrarum incolis, & perpetuò humi reptas, magno cum labore tenuem victum quærens. At me alæ in sublime ferunt, & accipiunt mensæ regiæ: auro & argento ego eadem bibo, delicatissimis cibis vescor, purpuræ incubo: Quin etiam mollissimas sæpe genas formosarum deosculor. Fastidiosæ & inflatæ opinione felicitatis respondit Formica: Etiã hoc adde, improbitatem tuam inuisam &

odiosam esse omnibus, contra te flabella & venena parari. Idemq; hoc, media anni parte durare hanc beatam vitam tuam, dum sol feruet, hyeme & frigoribus statim occidere. At ego æstate mediocri labore exerceor, vt hyeme quietam & securam vitam posim degere.

Fabula hoc ait: Qui, quæ vult, dicit, ea, quæ non vult, audit. Et hoc: Non esse in paruis commodis, sed sine magnis incommodis vitam beatam.

Rana crepans.

Conspicata bouem opimum rana, etiam se posse exæquare magnitudinem illam, si contractam & rugosam pellem explicuisset, sperabat. Cum igitur se inflaret, rogat suos ranunculos, quàm longè à bouis mole abesse videatur? Per, inquiunt illi, nostra matercula, permultum. Tum inflare se illa vehementius, & quæ videatur, rogare iterum. Vbi vnus, vt Horatius loquentem fecit, de pullis: Non si te ruperis, inquit, par eris.

Stulticia reprehenditur eorum, qui aspirant ad non sperandam excellentiam.

Lupus

Lupus & Asinus.

Conspectum in pascuis &c. sup. pag. 9.

Asinus & Equus.

Videbatur asino &c. sup. pag. 193.

Vespertilio transfuga.

Bellum gerebant bestiæ cum volucribus: cumq; videretur victoria ad has sese inclinare, vespertilio, quæ euentum expectarat, neq; alterutri parti adhuc sese applicuerat, cum bestijs coniungitur. Mox fortuna mutata, vt hæc est belli varia, vincentibus virtute aquilæ volucribus, ad aues illa reuolat. A quibus, vt transfuga, nudata pennis, ab auium conuictu exclusa, & ad nocturnos volatus damnata, pœnas dedit perfidiæ.

Contra mendaces, & subdolos ac perfidos, hæc fabula composita est.

Lupus et Vulpes.

Copiosam prædam lupus in antrum congesserat. Accurrit vulpes, & blandè illum

illum compellat, & gratulatur aduentu proſpero illius: Diu enim, inquit, à nobis abfuiſti, & ſolicitos habuiſti mora reuerſionis tuæ. Lupus vulpeculam aſſentatione ſua aliquid de præda ſibi quærere intelligens: Bene, inquit, habet, tibi tamen partem afferre non potui. Falſa ſpe ſua vulpes, & ad iram, & vindictæ cupiditatem conuerſa, accedit ad paſtorem, &, Heus tu, quid mihi dare vis, inquit, ſi nunc tradidero in manum tuam ſempiternum hoſtem gregis tui? Omnia, quæ vellet, promittente paſtore, paucos caſeolos paciſcitur, & illum ad ſpecum lupi armatum deducit, qui facilè hunc interemit. Poſtea vulpem venientem petitum mercedem proditionis, accerſitis ad tempus deſtinatum venatoribus obijcit. Itaq; illa ſibi interitum imminere videns: Hoc, inquit, diuinum certè eſt iudicium, vt ego, quæ alterum fraude perdidi, fraude circumuenta intercam.

Fabula narratur contra inuidiam, & docet, malos malè perire.

LVPVS ET HIRCVS.

HIrcus euaſerat lupum inſequentem in rupem, in quam peruenire ille non poſſet.

poſſet. Vbi aliquantiſper lupus cum obſediſſet eum, tandem fame depulſus, ſitienti tum hirco ad fluuium vicinum deſcendendi facultatem dedit. In fluuio autem cornua procera, & crura leuia contemplatus hircus, placere ſibi, & ſe incuſare, qui lupum fugiſſet. Lupus ſtultum immorantem in fluuio, & aſpectantem imaginem ſuam, clanculum adortus compræhendit, & iam fruſtra deplorantem ſuam vanitatem aſportat atq; deuorat.

Contra ſtulticiam ſuperborum fabula narratur: Simili quidem illa prorſus ſenſu, & de ceruo laudante ſpeciem cornuum apparentium in aqua, & poſtea damnante illa, cum fugiendum eſſet per denſam arboribus ſiluam.

FELIS.

IRrepſerat in officinam excuſoris, ſeu felis ſeu vipera, ibiq; repertam limam lingere cœpit. Cumq; ſauciata de lingua cruor manaret, gaudens illa euentu, quod crederet ferrum à ſe lacerari, non fecit lingendi finem, donec tota lingua abſumeretur.

Fabula dicitur contra eos, qui cupiditatibus

tatibus & pertinacia ſua ſeipſos damnis afficiunt.

LVPORVM ET OVIVM PAX.

CVm lupis bellum gerebant oues, atq; illis adiutæ auxilio canum, ſemper pares, ſæpe etiam ſuperiores erant. Lupi, victoria deſperata, ad aues legatos mittunt, qui pacē petunt. Conditiones ferebantur, canes lupis vt obſides darentur ab ouibus, ipſæ catulos luporum acciperent. Cum de omnibus conueniſſet, pax iuriſiurandi religione firmatur. Paulò pôſt ſecuris ouibus cum fortè vlularent catuli luporum, illi in miſeras & deſtitutas omni ope, quaſi violatrices pacis, qui iniuria obſides acceptos affeciſſent, irruunt, & ita prius, impunè illas rapiunt atq; vorant.

Monet fabula, vt eos, à quibus defendi nos ſcimus, diligenter colere velimus.

SECVRIS ET LIGNA.

FActæ ſecuri petit à ſilua manubrium lignator, ſilua ad eum vſum dedit ſtipitem oleaſtri. Tum inſtructa ad cædendum ſecuri, ſiluam lignator populari, & arbores

res truncare. Ibi fertur fraxino dixiſſe quercus: Feramus æquo animo, ſoror, malum, quod ipſæ nobis accerſiuimus.

Fabula monet, ne armemus contra nos hoſtes noſtros.

VENTER ET MEMBRA.

INquiunt quodam tempore membra: Nóſne te venter ita ſemper ocioſum alemus miniſterio noſtro? Non faciemus. Sed dum ventri cibus ſubtrahitur, totum corpus debilitatur, & membra ſerò pœnitere cœpit inuidiæ.

Fabula narratur contra ſeditionem & contra ſocietatis violationem, expoſita eleganter à Liuio.

SIMIVS ET VVLPES.

MEa vulpecula, inquit Simius, da mihi de cauda tua, tam grandi & oneroſa tibi, portiunculam, qua tegã patentes nates. Quàm grandi? inquit vulpes. Quod ſi illam eſſet neceſſe plauſtro poſt me ſubuehi, tu tamen nunquam vno huius pilo veſtitior fieres.

Fabula hæc malignitatẽ locupletũ notat.

Cervvs et Boves.

Exagitatus à canibus ad boues confugit ceruus, orans vt ſe tegere velint, & apud ſe deliteſcere patiantur. Non repudiant preces illius boues, ſed monent, vt de tutioribus latebris ſibi proſpicere velit, aiuntq; vereri ſe, ne in ſtabulo depræhendatur. Omne ſe periculum ſubiturum affirmantem recipiunt, & fœno atq; ſtramine obruunt. Aduenit paulò pòſt villicus, & negligenter ad boues reſpicit atq; abit. Lætus ceruus, ſe omne diſcrimen euitaſſe ſperat, ſed cognoſcit à bobus, mox affuturum ipſum villæ & agrorum dominum, cuius diligentiam & inſpectionem ſi euaſerit, tum ſibi certò ſalutem poſſe polliceri. Venit igitur paterfamilias, & ob malè curatos boues indignatur, & quo quidque conditum ac repoſitum loco ſit, cognoſcit & aſpicit, ad pleraque etiam manus ipſe admouet. Inter hanc curam & attentionem apparent cornua cerui, & ipſe latens intra ſtramenta, & à gaudente patrefamilias cæditur.

Fabula docet, qui ad alienos confugiant, ſi ſeruentur, ſingulari hoc fortunæ beneficio fieri, itaque malum haud ferè euadere.

euadere. Docet etiam, diligentem curam & considerationem rerum suarum vnicuiq; esse fructuosam, & nisi aspectu heri domus illustretur, omnia esse in caligine & tenebris, secundum hanc Aeschyli sententiam: Est domus oculus, asidua heri in domo præsentia.

Et præclarè Plinius hoc scripsit: Ita est profectò, opera non impensa cultura constat. Et ideo maiores, fertilissimum in agro oculum domini esse dixerunt: eademq; sententia ex Aristotele citatur.

Leo & Vulpes.

Leo senio confectus &c. sup. pag. 171.

Vvlpes et Mvstela.

VVlpes irrepserat in frumenti cameram per angustam rimam, quòd valde macilenta esset, & corpore attenuato fame. Repleta autem, cùm eadem se recipere & egredi vellet, non magis patuit exitus distentæ cibo. Tum nitentem & vrgentem fugá, conspicata mustela monet, vt sic exire studeat, quemadmodum intrauerit. Macie enim pristina recuperata, tum demum

mum euaſuram illà, quà ſubijſſet.

Horatius ad Mecœnatem fabula vtitur hac ſignificatione: Qui à diuitibus & potentibus locupletentur, eos intelligendum ſe in carcerem includere obſequij illorum, neque inde, niſi partorum commodorum amiſsione, liberari ferè poſſe.

DE EQVO ET CERVO.

TEnuerat equus pratum aliquantiſper ſolus, poſtea cum in illud & ceruus ventitaret, & pabulum conſumeret, cupidus ille vindictæ, quærit ab homine, vtrum ope ipſius adiutus, iniurias cerui vlciſci poſsit? Cui reſpondit homo, poſſe, frenum ſi recipiat equus, & ſe conſcendi patiatur ab armato. Annuente autem equo, tantum abfuit, vt de ceruo ſperatas pœnas ſumere liceret, vt etiam ipſe in ſeruitute deinceps viuere cogeretur.

Fabula monet, ne cum vllo tam graues inimicitias exerceamus, vt lædendi illius cupiditate, malum etiam nobis non dubitemus accerſere. Horatius ita explicat:

Qui pauperiem veritus, potiore metallis
Libertate caret, dominum vehet improbus, atq;
Seruiet æternum, qui paruo neſciet vti.

Ado-

Adolescentes & Cocus.

Cum fortè propter &c. sup. pag. 72.

Canis et Cocus.

CAnis in culinam introgressus, occupato coco, neq; animaduertente, corculum pecudis rapuit & aufugit. Quem his verbis cocus fertur esse prosecutus: Age, nunc hoc abstuleris impunè: sic tamen habeto, te posthac vbicunque conspectus sis, cautius à me obseruatum iri. Non enim cor abstulisti à me, sed cor mihi attribuisti.

Id fabula docet, quod apud Herodotum Crœsus loquitur, Rebus aduersis intelligentiam excitari.

Canis et Ovis.

POstulabat in iudicio canis ouem debiti, quod repeteret mutuum modiorum trium frumenti, testimonium dicebant lupus, miluius, accipiter. Victa ouis & condemnata, sola enim erat, & planum fecerat testibus, deberi sibi frumentum canis, quamuis non deberet, coacta iudicatum

 solue-

ſoluere, ante tempus tonſuræ vendidiſſe lanas dicitur, quarum precio frumentum mercaretur, & cani ſatisfaceret.

Fabula docet, à malicia potentiorum nullius innocentiam tutam eſſe.

Hoedvs et Lvpvs.

CVm lupum euaſiſſet hœdus, & confugiſſet in caulam ouium: Quid tu ſtulte, inquit ille, hîc te ſaluum futurum ſperas, vbi videas quotidie ad cædẽ rapi pecudes, & mactari dijs? Non curo, inquit hœdus, nam ſi moriendum ſit, quanto præclarius mihi fuerit, meo cruore reſpergi aras deorum immortalium, quàm irrigari ſiccas lupi fauces?

Significat fabula, mortem communem & paratam omnibus cum honeſtate & laude coniungi oportere, ſi fieri vllo modo poſsit. Pertinetq; huc memorabilis ſententia, quæ eſt poſita in defenſione Cteſiphontis: finem & exitum vitæ mortem vniuerſis eſſe propoſitum, neque ſi in cauea incluſus aliquis aſſeruandum ſe curet, ideo latere illum morti poſſe. Bonos autem & fortes viros virtutem colere debere, in optima quidem ſpe euentuum, ſic

tamen

tamen paratos, vt ferant fortiter, quæcunque Deus immiſerit.

Notatur fabula etiam hoc modo: Cõmiſerat ouis agnum cuſtodiæ hircorum. Vbi cum eſſet tutus à vi Lupi: Quid tu, inquit lupus, hîc potius apud olidum gregem victitas, & ſalebroſa loca ſequeris, quàm apud tuos amœnis in pratis paſcua opima carpis? Cui agnus, Mater, reſpondit, mea hîc me manere iuſsit, & contra voluntatem ſuam hinc recedere vetuit.

Fabula docet, obſeruationem eorum, quæ præcipiunt parentes, iuuentuti ſalutarem eſſe.

De Homine et Fele.

Habebat in delicijs felem adoleſcens: eam vt in puellam conuerteret, cum Venerem exoraſſet, lætus nuptias celebrat. Aderat & Venus conuiuio: Hæc volens periculum facere, cum forma ne etiá animum priorem exuiſſet, emittit in medium murem. At hunc intuita ſponſa, quæ inter virgines exornata aſſederat, commoueri quidem admodum, ſed ſe tamen repræhendere & continere. Tum Venus alterum muſculum emiſit. Quo viſo iſta, nõ

magis apud se, exilire, & oblita omnium, musculum insequi cœpit. Ex eo intellectum, difficulter, vel potius nullo pacto naturam mutari posse.

Fabula docet, ingenitos mores & insitam mentẽ, nulla arte posse transformari.

AGRICOLA ET FILII.

CVm sentiret appropinquare sibi mortem agricola senex, cui domi esset soboles numerosa, sæpè vt fit, discordans, ita studuit coniungere animos & sententias illorum: Apponit ante illos fascem virgularum aridarum, & frangere iubet: cum non possent, distribuit singulis singulas virgas, ijsq; celeriter confractis, docere conatus fuit illos, quàm firma esset res concordia, & quàm imbecillis discordia.

Narrantur & de pilis caudæ equinæ, & de fasce sagittarum, similia.

Equus & Asinus.

Agitabat quidam equum &c. sup.p.35.

Carbonarius & Fullo.

Conduxerat perquam &c. sup. p. 146.

Auceps

AVCEPS ET ANGVIS.

EXijt ad aucupium cum viſco quidam & arundinibus,ac turdum fortè in alta arbore ſedentem conſpicatus , intendere atq; conſtruere calamos, & viſcum alline-re cœpit , defixis in turdo oculis atq; ſpe ſua. Inter hæc miſer anguem latentem in herba calcat , à quo irritato ictus , & letali accepto vulnere , iam moriens : Me miſerum,inquit,qui dum alteri inſidias ſtruo, ego circumuentus & captus pereo.

Docet fabula, eos,qui alijs malè conſulere ſtudeant,ſibi interdum primis malum accerſere,ſecundum hanc Heſiodeam ſententiam : Malum cõſilium conſultori peſſimum.

TVBICEN.

TVbicen cantu ſuo concitatis aciebus, & prælio commiſſo captus : Ne me, ne, inquit, vos interficite, nemo enim veſtrum à me eſt occiſus , quippe qui inermis nihil niſi tubam hanc,vt videtis,habeam.At hoſtes : Ideo te,inquiunt, cupidius interimemus , quod pugnandi imperitus, alios ad pugnas & dimicationes incitare ſoleas.

Fabula docet, nocentiores eſſe eos, qui potentes inſtigent & irritent ad malefaciendum alijs, quàm priuatos vllos, qui ipſi malefici ſint.

CANIS ET LVPVS.

ADmirans lupus nitorem corpulenti canis: Quanta, inquit, frater, felicitas eſt vitæ tuæ? Licet igitur, inquit canis, mecum in vrbem venias, & eadem fruare felicitate. Dum vnà pergunt, animaduertit lupus in canis collo attritos pilos. Tũ, Iugúmne etiam ſuſtinendum tibi eſt? inquit. Ceruix enim hoc glabra indicat, vt videtur. Die, inquit canis, alligor, vt noctu ſim acrior & vigilantior, atq; hæc veſtigia ſunt collaris, quod circumdari ſolet ceruici. Hoc audito lupus, Vale, inquit, amice, iam nihil moror ſeruilem felicitatem tuam.

Oſtendit fabula, nihil eſſe libertate melius neque præſtantius.

Herus & Canes.

In prædio ſub vrbe &c. ſup. pag. 198.

Vulpes

Vulpes & Leo.

Quæ nunquam leonem &c. ſup. p. 40.

Aquila & Vulpes.

Inijt quodam tempore &c.ſup. p. 136.

De Agricola et Ciconia.

INter grues cepit agricola & ciconiam. Hæc deprecata ab illo vitam, non ſolùm innocentem,ſed etiam piam ſe,& hominibus prodeſſe commemorat. Nam & noſtrum genus,inquit,venenatas beſtias venatur ac deuorat, & effœtos ſenecta parentes geſtat atq; ſubleuat. Huic reſpondit agricola: Credere ſe vera eſſe omnia, quæ recenſuerit, ſed inter nocentes captam, eandem oportere pœnam ſufferre, quam illos.

Fabula ſignificat, ſimilem quenq; haberi ijs, cum quibus conſociatus, & inter quos depræhenſus fuerit.

Felis & Gallus gallinaceus.

Felis captum gallum &c. ſup. pag. 96.

De mendace pvero.

PVer custos ouium crebrò per lusum magnis clamoribus opem rusticorum implorabat, contra incursiones luporum. Sæpe autem frustratus eos, qui auxilium illi laturi aduenerant, tandem lupo irruente cum lacrymis clamare, & orare miserabili voce, vt subueniretur sibi & gregi. Qui audiebant, ludere illum pariter vt antè, arbitrati, neglexerunt preces & implorationem vani pueri, ita liberè in oues grassatus lupus fuit.

Fabula docet, hoc consequi mendaces, vt verum etiam dicentibus nemo credat. Hanc de nugatore & plano, qui se crus simularet fregisse, Horatius exposuit.

DE AQVILA ET MONEDVLA.

AQuilam rapientem agnum conspicata monedula, idem de ariete facere conatur, sed in villis pecudis cùm vngulæ implicitæ essent, capta à pastore, & dono data filio fuit, qui illa in ludo pro monedula postea, quæ sua opinione aquilæ par fuerat, vsus est.

Deterret fabula ab affectādis ijs rebus, quæ res maiores sint, quàm vt nos assequi posse videamur.

Canis

Canis in præsepi.

FRendens canis dentibus & allatrans nonnunquam in præſepi iacebat, à quo boues terrebantur, neq; admittebantur ad pabula. Cui vnus, Quanta iſta, inquit, inuidia eſt, non pati te, vt eo cibo veſcemur, quem tu capere nec velis, nec poſsis.

Fabula de prouerbio compoſita eſt, quo notatur inuidentiæ malignitas.

Aſinus & Coruus.

Aſinus paſcebatur &c. ſup. pag. 204.

Pavo.

COnqueſtum grauiter apud Iunonem, auem illius propriam, pauonem accepimus, quod in tanta formoſitate & ſplendore pennarum, vocis ſuauitate deficeretur, cùm luſcinia tam nihili volucris illa abundaret. Cui Iuno, Rectè, inquit, non enim omnia in vnum bona conferri oportuit.

Fabula nos admonet ſententiæ Homericæ:

Non datur, vt rebus præcellat in omnibus vnus.

MVSTELA.

IMbecillis iam & annis grauis mustela, mures assequi non magis poterat. Hanc igitur excogitat fraudem: In frumenti manipulos se implicat, eodem veniunt & mures, fruges vt erodant, hos illa sine labore & defatigatione capit atq; deuorat.

Fabula docet, viribus deficientibus magnum in prudentia subsidium esse positũ.

ARBOR TRALATICIA.

FErunt villicum cuiusdam magna cum cura hortos colere solitum, & studuisse hero afferre de arbore quadam inprimis suauia mala. Hanc arborem herum cupijsse transferri in villam suburbanam, quæ vel vetustate, vel alia quapiam de caussa statim exaruerit. Tum dixisse patremfamilias, suo se damno experiri, annosam stirpem transferre non expedire.

Epimythiõ Mantuani non inelegans est:

Qui nimium sapiunt, atq; inconcessa sequuntur,
Desipiunt: cohibet qui sua vota, sapit.

LEO ET RANA.

Leo

LEo auditis ranæ clamoribus, quos illa toto rictu edebat quàm maximos, primùm percelli animo valde cœpit, quod crederet, ingentem animantem eſſe autorem tanti clamoris: animo tamen confirmato circumſpicere, & contra illum clamatorem, quiſquis eſſet, ſeſe parare, & ad pugnam accingere. Cum videt prorepentem ranam de propinquo lacu, ibi leo, ſimul indignatione, ſimul etiam pudore affectus, pede illam calcatam attriuit.

Docet fabula, non eſſe ad quemlibet ſtrepitum expaueſcendum, neque nos inexplorata re terreri oportere.

FORMICA ET COLVMBA.

FOrmica ſitiens in fonticulum ſe demiſerat, ſed vndis ablata veniebat iam in periculum, ne ſuffocaretur, cum non eſſet vbi conſiſteret. Hoc columba cernens de arbore iuxta fontem enata, defractum ramum in aquas abiecit, cui adhæreſcens formica mortem euaſit. Paulò poſt affuit auceps, & arundinibus diſpoſitis viſæ columbæ inſidiari cœpit: cui metuens formica, ad aucupem inter opus arrepſit, & ita vehementer illum pupugit, vt arundines

nes præ dolore abijceret, atq; harum ſtrepitu territa columba auolauit, ac periculum vitauit.

Docet fabula, erga benè meritos eſſe nos gratos debere.

Pauo & Monedula.

Cum haberent comitia &c. ſup. p. 48.

MEDICVS ET ÆGROTVS.

DVcebatur funus, hoc medicus, cuius opera in morbo vſus fuerat mortuus, comitabatur. Atq; ibi cum alijs, qui funus proſequebantur, multa verba facere, & ſi vino abſtinuiſſet iſte, inquit, ac celeriter alu9 fuiſſet humidior facta, vt purgaretur, poterat conualeſcere. Tum de amicis vnus: Hæc, inquit, qua lingua nunc dicis, cum occaſione amiſſa fruſtra memorantur? Quo tempore verò rectè ac vtiliter fuiſſent dicta, eo reticuiſti.

Monet fabula, neceſſario tempore ſuccurrendum laborantibus. Vſusq; eſt hac ſimilitudine elegantiſsimè contra Aeſchinem Demoſthenes. Nec quicquam autem monet, qui ſerò monet, id quod & Ouidius

dius eleganter versibus expressit de Pon. lib. 2.

Nunc mihi naufragio quid prodest dicere facto,
Qua mea debuerit currere cimba via?

Narratur fabula & contra voracitatem ac ingluuiem hoc modo: Ducebatur funus cuidam, ac quærentibus compluribus, quo morbo ille mortuus esset: Medicus, vt fortè aderat, Quid quæritis? inquit: hic fame & siti perijt, mirantibus omnibus, nunquam enim, ait, impleri cibo, neq; satiari potu illum vidi.

Leo, Asinus, Vulpes.

Amicitiam quodam &c. sup. pag. 6.

HOEDVS ET LVPVS.

SVpra tectum domus stans hœdus, lupum prætereuntem inclamabat, & illi maledicebat. Cui lupus, Non tu, inquit, sed tectum mihi maledicit.

Sæpe locus & tempus fortes facit homines timidos, vt insultare etiam prestantissimis non vereantur.

Asinus & Olitor.

Seruiens apud olitorem &c. sup. p. 159.

MVLIER ET ANCILLÆ.

MVlier vidua, quæ texendo vitam sustentabat, solebat ad operas excitare de nocte ancillas suas, cũ quidem gallorum cantus auditi essent. At illæ diuturno labore defatigatæ, statuerunt gallum domesticum interficere, quod huius cantu de somno dominam suscitari dicerent. Quo facto, deteriore conditione quam prius esse cœperunt: Nam de hora & tempore incerta domina & dubitans, prima sæpe nocte famulas postea excitabat.

Indicat fabula, sæpenumero bonæ spei consilia habere exitum infelicem.

EQVVS ET ASINVS.

O Te beatum, inquit asellus, fortè obuiam factus equo bellatori, me verò infelicem & miserum! Quantus enim nitor cutis tuæ! quàm planum corpus! quãta agilitas! quàm venusta ceruix! Ego verò strigosus, iners, humilis, famelicus, fustium deliciæ sum. Placebat hic equus sibi, & paulò, quàm antè incedebat magis ardu-

arduus. Paulò autem pòſt in prælio defatigatus, extimulatus, vulneratus, demiſſo capite collabens: Heu,inquit,quantopere falſus aſellus fuit,qui meam fortunam præ ſua tam vehementer nuper collaudarit, cuius ſplendor me in hæc mala et exitium demerſit.

Nemo temerè aut alterius fortunam ſuſpiciat,aut ſuam deſpiciat. Is enim eſt ſatis felix, cui ſecundum Horatium, Deus obtulit parca,quod ſatis eſt, manu.

Capra et Lvpvs.

COnſpicatus in alta rupe ſtantem capram, Quin tu, inquit, vel leo vel lupus, huc in herbidos campos, & ad lætas frondes deſcendis, & iſta ſterilia & nuda loca relinquis? Cui reſpondit capra,ſenſerat enim fraudulentè locutum: Nō eſſe in animo ſibi, dulcia præponere ſalutaribus.

Fabula docet, voluptatum ſtudium interdum eſſe exitiale.

Vvltvr.

VVltur inuitatis auiculis ad conuiuium, quod illis daturus eſſet die natali ſuo, poſt-

postquam hæ affuêre ad tempus, clausis foribus domus, capere & occidere singillatim omnes, & de inuitatis epulas sibi instruere cœpit.

Fabula monet, voluptatis sectatores non prouisum in exitium incidere solere.

ANSERES ET GRVES.

IN vno quodam prato pascebantur anseres & grues. Adueniente aucupe, grues leuitate sua adiuti, facilè auolant: at anseres impediti grauitate, dum moliuntur fugam, ab aucupe præhenduntur.

Ostendit fabula, vrbe capta, cum pauperes plærunque vim hostilem effugiant, diuites in potestatem hostium venire, & in seruitutem abduci.

SIMIA.

COnuocatis vniuersis animantibus cognoscere Iupiter volebat, cuiúsnā omnium formosissima esset soboles. Tum simia simiolum paruulum præferens, & Ioui ostendens: Quid quæris Iupiter? inquit, nullum hoc formoso formosiorem inuenies. Cui Iupiter: Ideo nudas, inquit, nates scilicet habet.

Docet fabula, de illius ore, qui ſeipſum aut ſua prædicet, laudes & ſordidas & ridiculas fieri.

PISCATOR ET SMARIS.

SMaridem aunt eſſe piſciculum paruum, in cibo gratum. Huius generis captam vnam perpuſillam oraſſe piſcatorem, qui ceperat, ferunt, vt illo ſe tempore amitteret ac ſineret grandeſcere, tum enim illum ſe maiore cum commodo ſuo facilè eſſe recepturum. At ego, inquit piſcator, deſipiam, ſi ſpe futuri boni vel maximi præſens è manibus dimittam, quamuis modicum.

Docet fabula, incogitantes eſſe, qui malint magna ſperare bona potius, quàm mediocribus frui.

Cicada & Formicæ.

Formicæ humectatas &c. ſup. pag. 15.

TAVRVS ET HIRCVS.

CVm vrgeret taurum inſequens leo, cõfugit ille ad hirci caulam, ſed hircus in foribus reſiſtere, neq; taurum intrò admittere. Tum taurus, niſi vtroq; noſtrum robuſtior premeret me, facilè poteram tibi

oſtendere, quantò præſtent tauri vires viribus hircinis.

Docet fabula, interdum iniurias & contumeliam debiliorum ferri neceſſe eſſe, propter metum validiorum.

Lupus & Mulier.

Eſuriens lupus omnia &c ſup. pag. 175.

TESTVDO ET AQVILA.

MAgnopere orabat aquilā Teſtudo, volare ſeſe vt doceret. Aquila oſtēdebat teſtudini, rem illam petere contrariam naturę ipſius. Sed nihilo illa minus inſtare, & obſecrare aquilam, vt ſe volucrem facere vellet. Itaq; vngulis arreptam aquila ſuſtulit in ſublime, & laxatis illis teſtudinem demiſit, vt per aërem ferretur, quæ delata in rupes, comminuta interijt.

Fabula docet, multos cupiditatibus ſuis occœcatos, conſilia prudentiorum reſpuere, & in exitium ruere ſtulticia ſua.

CANCRI.

MI nate, grandior cancer paruulo dicebat, quin recta via incedis, neq; obliquos intorques greſſus? Faciam, inquit ille,

ille, mi papule, si te idem facientem prius videro.

Docet fabula, adolescentiam domesticis malis exemplorum maximè corrumpi.

SOL ET AQVILO.

SOlem & aquilonem de robore viribusq; quondam disceptasse ferunt, conuenisseq; inter eos, vt vter viatori vestem eriperet facilius, is validior haberetur. Priores igitur sortitus Aquilo, ventus acer & vehemens, omnem vim flatus sui in cõspectum fortè viatorem immisit, verùm ille quò magis ventus in se ferebatur, hoc arctius vestimenta continere, circumq; se conuoluere. At Sol æstus & calorem effundens, facilè effecit, vt viator se vestibus nudaret, non solùm pallio posito, sed etiam refibulata tunica.

Fabula dicit, cedere robur ingenio, secundum Sophocleam sententiam:

Nõ pectore amplo, qui sunt humerisq; arduis,
Sese tuentur proteguntq; maximè:
Sed consilij sapientia superat omnia.

DE ASINO INDVTO Leonina pelle.

PElle Leonina indutus aſinus territabat homines & beſtias, tanquam leo eſſet. Fortè autem conſpectæ aures eminentes & longæ, indicarunt ſtolidè ſuperbientem aſinum, ita in piſtrinum abactus, pœnas dedit temeritatis & petulantiæ ſuæ.

Fabula innuit, honores indignis collatos, ad ignominiam plerunque recidere. Diciturq́; contra ſimulationem ſtultorum & glorioſorum.

VERMICVLVS ET VVLPES.

EMerſus de ſterquilinio vermis, cœpit profiteri apud animantes, ſe eſſe medicum ſummum, neq; cedere Pæoni deorum medico, vſu & experientia artis. Quē rugis deformem & nutantem intuita vulpes: Medice, inquit, teipſum curare prius, atq; ita profiteri artem debueras.

Docet fabula, turpiter ea oſtentari verbis, quæ reipſa conuincantur mendacij. Et eſt prouerbio tritus huius ſententiæ ſenarius Græcus, qui irridet medicum aliorū, ipſum ſcatentem vlceribus.

Narratur fabula & de rana, prorſus eodem ſenſu.

CANIS MORDAX.

Cani

CAni mordaci, vt omnes cauere illum possent, paterfamilias iusserat tintinnabulum appendi ex ære paruulum. Hoc ille, quasi præmio virtutis suæ, admodum superbire, & alios canes præ se contemnere. Cui vnus senior: Heus tu, inquit, an nescis indicari prauitatem morum tuorũ tinnitu isto, non ornari ære corpus?

Coërcet fabula stulticiam vulgi, quod sæpe placet sibi notis & insignibus flagitiorum suorum.

CAMELVS.

CAmelus repanda à Ioue petebat, vt cornibus armaretur. Cuius ille stolidis precibus irrisis, etiam aures mutilauit, vt non solùm inermis, sed etiam deformis de cætero esset.

Monet fabula, ineptis precibus deos non esse fatigandos.

VRSI PRÆCEPTVM.

MAgnus erat inter duos familiaritatis & necessitudinis vsus, vt in summa coniunctione voluntatum atq; studiorum viuere viderentur, operasq́; darent inter se

 mutuas,

mutuas, & alter alteri gratificaretur. Accidit.iter vt quodam tempore communiter ambobus faciendum eſſet, cumq; tranſirent quasdam ſolitudines, in vrſum ingentem inciderunt, quo viſo, vnus celeriter in arborem euaſit, alter ab vrſo oppreſſus, cum audiſſet illam feram cadauera non attingere, in terram ſe proſtrauit, & attractam animam, quàm potuit, vehementiſſimè continuit, vt veſtigium nullum vitæ appareret. Vrſus omnibus partibus corporis pertentatis, & ore ſuo crebrò ad illius os aureſq; admoto, cùm pro mortuo reliquiſſet, abijt. Tum metu ambo liberati, proſequuntur inceptum iter. Inter eundum autem interrogat is, qui arborem conſcenderat, alterum, quidnam in aurem vrſus iacenti immurmuraſſet? Multa, inquit ille, quæ nunc memorare nihil attinet, ſed inprimis hoc præceptum dedit: Ne amicum eſſe quenquam mihi vnquam perſuadeam, cuius fidem aduerſo tempore meo non fuerim expertus.

Docemur, verum eſſe quod Cicero ſcripſit præclarè, vt omnia, Pæto: Non facilè dijudicatur amor verus & fictus, niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, vt quaſi aurum igne, ſic beneuolentia fidelis periculo

culo aliquo perſpici poſsit, cætera ſunt ſigna communia.

Crines alieni.

CAluus quidam alienos ſibi crines ſumſerat, Græci φενάκlω vocant. Orto autem vehementiore vento, deturbati illi in viam, caluitium reliquêre manifeſtum, quod irridentes qui præteribant, ille intuitus: Quid ridetis, inquit, à me ablatum eſſe, quod meum non erat?

Fabula docet, homines prudẽtes æquo animo ferre iacturam earum rerum, quas in ſe fortuna contulerit.

Olla natans.

Lebetem ahenum & ollam &c. ſup. p. 2.

Agricola.

QVi terram colebat cum agrum foderet, aurũ fortè reperit. Memor igitur beneficij, vt à terra in ſe collati, & gratus, hanc quotidie ſertis redimere ſolebat. Ergo fortuna aliquando accedens ad illum: Cur acceptum refers, inquit, terræ, quod tibi ego tribui, cum ſtatuiſſem te diuitijs

augere? Nam ſorte, ſi ita cadat, mutata, & auro delato ad alios, ſatis ſcio, te non terram, ſed fortunam accuſaturum eſſe.

Fabula monet, autores beneficiorum agnoſcendos, & illis memoriam atq; gratiam perſoluendam eſſe.

Grvs et Pavo.

PAuo contra gruem aſsiſtens, explicatis pennis ſuis: Quanta eſt, inquit, formoſitas mea & deformitas tua? At Grus ſubuolans: Quanta eſt, inquit, leuitas mea & tua tarditas?

Monet fabula, non eſſe ob aliquod bonum naturale ſuperbiendum, neque contemnendum alterum, cui fortaſſe multò maiora collata ſint.

Arundo & Olea.

Diſceptabant de &c. ſupr. pag. 112.

Tigris.

VEnator iaculis & ſagittis feras perſequebatur, quibus fugitantibus, tigris ſe bellum ſolam ſuſtentaturam eſſe profitetur, in huius, de latebris ſuis, femur, ſagittam

tam venator conijcit. Tum illa grauiter ingemiſcere & circumſpicere, & quærere autorem vulneris. Cui obuiam facta vulpecula: Quis te læſit, ô fortiſsima, inquit, ferarum? Neſcio, inquit illa, ſed ſentio viri robuſti adhibitam manum fuiſſe.

Refutat fabula temeritatem audacium. Qui autem viribus præſtant, plærunq; incautiores eſſe conſueuêre. Docemur igitur hoc, vt intelligamus victoriam non tam virium eſſe, quàm prudentiæ.

Boves et Leo.

PAſcebantur vnà tres boues opimi in maxima concordia, itaq; facile ab omni incurſione ferarum tuti erant, ac ne leones quidem aggredi illos audebant. Tandem diſsidio inter illos nato, & ſoluta amicitia, ſinguli validioribus beſtijs direptioni & prædæ fuêre.

Fabula docet, tantum ineſſe mali in diſſenſione, quantum boni in concordia reperiatur.

Abies et Dvmeta.

COntemnebat propinquos dumos abies alta, cui ille: Quantò tu nobis es

 præſtan-

præſtantior, tantò tua eſt conditio deterior, quod magis omnis generis iniurijs expoſita ſis, & tibi à dijs & hominibus pericula impendeant.

Docet fabula, non oportere excellentes vllorum humilitatem deſpicere. Nam multos, vt ille ait, fortuna tollit in altum, vt lapſu grauiore ruant.

De Avicvla et Messe.

MEſsis inſtabat tempus, erantq; auiculæ cuiuſdam pulli adhuc implumes in illa depoſiti. Hæc verò, quoties ad paſtum auolabat, diligenter meminiſſe iubebat pullos, omnium quæ interea dici audijſſent aut fieri vidiſſent, ſibi reuerſæ vt narrare poſſent. Dicunt illi quodam tempore, affuiſſe cum filio adoleſcente adulto & valente dominum agri, & conſtituiſſe frumenta poſtero die amicis corrogatis, demeſſurum ſe eſſe. Hoc nuncio auicula nequaquam territa, poſtridie vt conſueuerat, ad victum quærendum auolat. Cum redijſſet, audit conſtituiſſe dominum agri, ſeſe ad meſſem conſanguineorum & propinquorum opera vſurum eſſe. Negat illa in hoc etiam periculum ineſſe. Poſtea verò

rô quàm cognouiſſet, dixiſſe dominum ſeipſum cum filio & ſeruis affuturum, vt frumenta demeteret, ibi demum non dubitans, quin ſuam rem dominus curaturus eſſet, de ſegete migrat, & pullos ſuos aſportat in alium locum tutiorem.

Fabula vetat, alienis homines fretos eſſe in adminiſtratione rerum ſuarum. Eſt à Gellio illa quidem narrata copioſius, ſed nobis tamen ſimplici & æquabili expoſitione eandem retexere viſum fuit.

INVIDVS.

VOlens explorare ſenſus hominum Iupiter, miſit Apollinem in terras, qui voluntates humanas cognoſceret. Hic primùm incidit in auarum vnum, & alterum inuidum. Quibus cum collocutus, copiam illis facit petendi quod vellent: Id enim quod vterq; petijſſet, ratum ſe habiturum, ſed ea lege, vt quod ſibi alter petijſſet, alteri præſtaretur duplum. Nullo igitur pacto induci potuit auarus, quicquam ſibi vt peteret: at inuidus erui vnũ oculum ſibi petijt, vt auarus ambos amitteret.

Deſcribitur hac fabula auariciæ & inuidiæ turpiſsimum & deterrimum vitium.

Cornix

CORNIX.

SItiens cornix reperit in vrna grandiuſcula aquæ non multum. Quam cum attingere arido roſtro non poſſet, lapillos quamplurimos in vrnam deijcit, quibus fundum occupantibus, ad labrum vrnæ aqua ſubijt, & potandam ſe cornici præbuit.

Docet fabula, multas res arte obtineri, quas nullæ vires aſſequi potuiſſent.

DE HOMINE ET LEONE lapideo.

ORta inter hominem & leonem contentione de robore, cùm ſe huic ille anteferret, & omnibus modis vellet probare, eſſe validiorem, deduxit leonem ad effigiem hominis de ſaxo expreſſam, à qua leo item ſaxeus pedibus calcabatur. Tum leo: Si noſtrum, inquit, genus fingere etiam didiciſſet, ego quoq; tibi, vt opinor, ſaxeos homines, qui à leonibus premerentur, poſſem oſtendere.

Coërcet fabula oſtentationem virtutis propriæ.

Puer

Pver fallax.

PLorabat ad puteum reſidens & quiritabatur puer, ad quem accedens auarus, interrogat, quid acciderit ei: Me miſerum, inquit puer, cum multò largioribus lacrymis: ô miſerum me. Cur miſerum ſe prædicaret, interroganti auaro, reſpondet, Auream ſitulam ſibi in puteum modò delapſam. Ille cupiditate cœcus, neq; vnde puer auream ſitulam afferre potuiſſet, neque haud veriſimile hunc dicere cogitans, poſitis veſtibus ſe in puteum demittit, quibus puer interea, dum ille reuertitur, ſublatis, in ſyluas aufugit.

Qui aliena appetunt, eos ſua etiam amittere ſæpe ſolere, fabula docet.

De Rvstico et Ivvenco.

RVuſticus iuuencum educarat, quo ad arationes vteretur. Sed hoc admodum ferociente, & cornibus impetente obuios, ruſticus cornua illius detruncat, atq; ita ad aratrum adiungit. Ipſe ſequens ſtiuam tenet. At iuuencus ne ſic quidem idoneum ſe arationi præbuit, ſed & caput truncum dimittere cum iugo, & poſterioribus

pedi-

pedibus puluerem & glebas in os & oculos aratoris ſpargere, & delirare in arando, vt ruſticus illum ſibi vſui futurum eſſe deſperaret.

Hæc fabula ſignificatur, quoſdam ita eſſe feros, vt nulla ratione manſueſcere poſſint, quia nulla in parte tractabiles ſeſe præbeant.

De Favno et Viatore.

SAtyros & Silenos vocant Græci ruris & ſiluarum numina, qui Latinis ſunt Fauni & Siluani. Ex his vnus quondam viatorem hyemis frigore afflictum, deduxiſſe perhibetur in ſpecum ſuum, miſertus hominis. Cumq́; videret crebrò eum manus ori admouere, & illis inhalare, rogat, quid ſibi ea res velit. Reſpondit viator, calefieri ita ſpiritu manus contractas gelu. Tum Satyrus, ne quid humanitatis erga hoſpitem prætermitteret, affert in phiala vinum calidum & adhuc feruens, illoque ſuum fouere guttur & ſtomachum iubet. In hoc & ipſum inſpirare viator, quod diceret, admiranti & cauſſam requirenti Satyro, refrigerari potum anhelitu. Ibi Satyrus eum auerſatus, At tu, inquit,

citò

citò te aufer à me, & egredere de ſpecu: nihil enim cum tua peruerſitate commercij habere volo, qui eodem ex ore efflas calidum & frigidum.

Fabula ſignificat, fugiendas amicitias dubias & mutabiles hominum inconſtantium & leuium.

ASINVS EXCORS.

LEo ægrotans & infirmus, vulpeculam orat, ſibi cibum vt inueniat. Illa abit, & ad aſinum ſolum in quodam prato oberrantem deuenit, ac, Quid tu hîc ſolus agis? inquit. Quin mecum te confers ad tui generis animalia, quæ plurima intra iſtud nemus conuenêre. Aſinus oratione vulpeculæ motus, illam ſe ait ſequi. Hæc eum ad leonem deducit, qui ita fuerat morbo debilitatus, vt aſinum retinere non poſſet: Ille igitur elapſus, in ſuum pratum reuertitur. Leo iterum atq; iterum orare vulpem, ad ſe illum vt reducere ſtuderet. Hoc vix poſſe fieri vulpecula dicebat, nam ſibi aſinum nihil iam crediturum eſſe: ſed promiſit, ſe tentaturam. Redit igitur ad aſinum, & cum illo expoſtulat, & verè eſſe aſinum, ait, pecus agreſte & ruſticum, qui maxi-

maximorum amatorum complexus fugerit: nam illos gaudio non apud se fuisse, ideoq; illatos in eum vehementius. Asinus credit vulpi, & iterum cum ipsa ad leonem accedit, qui tum viribus annisus omnibus, eum prosternit ac iugulat. Tum iubet vulpem carnes eluere & apparare, vt illis iucundè vescatur. Vulpecula, vt iussa fuerat, facit, sed exemtum cor & præmorsas aures illa deuorat. Requirenti autem leoni dicit, illum asinum neque cor, neq; aures habuisse. Hoc leo mirari & incredibile esse dicere. Tum vulpes: An tu putas, inquit, iterum ad te vt veniret, adduci hunc potuisse, si vel aures vel cor haberet?

Narratur fabula in stolidos, & bis, quod prouerbio reprehenditur, ad eundem offendentibus.

Narratur & de apro sensu eodem, quē primò captum vna aure, iterum captum altera quoq; mutilum rusticus demisisset, & ita tertiò captum obtruncasset, deportassetque ad patronum suum exemto corde, negans cor illum aprum habuisse.

Mvs et Tavrvs.

ARrepsit quodam tempore ad pedem cubantis tauri musculus, & pedem bestiæ

ſtiæ mordicus arripuit. Excitatus ſenſu doloris taurus,exilire & circumſpicere,& quærere autorem vulneris. Tum murem exultando fuiſſe gloriatum accepimus, quòd à ſe tam exiguo animali tam grande & validum exagitari potuiſſet.

Fabula dicitur de ſtolida imbellium & humilium oſtentatione.

Narrari etiam ita poteſt, vt magnos ac præſtantes viribus admoneat conditionis ſuæ, præpoſitis interdum etiam minimorum & contemtiſsimorum iniurijs.

Bubulcus.

Bubulcus onuſtũ lignis &c.ſup.p. 102.

GALLINA AVRIPARA.

HAbebat gallinam quidam, quæ ouum quotidie pariebat aureum.Hic ſperans auri maſſam intra illam eſſe abſconditam, occidit gallinam, & in diſſecta nihil aliud reperit, quàm quod in reliquis eſſe gallinis conſueuit. Itaq; ingentibus ille diuitijs inhians,etiam mediocres perdidit.

Monet fabula, vt immodicas cupiditates & auidos diuitiarum animos compe-

camus, & vt ſua quiſque fortuna contentus viuat.

SIMIA.

MAgnum eſſe amorem erga natos ſimiarum accepimus, ſed duobus partu editis, alterum mirificè diligere matrem, & geſtare manibus, & frequenti complexu ſæpenumero necare. Quæ igitur fugiebat canes cum gemino fœtu, cariorem manibus compræhenſum, alterum de ceruice pendentem geſtabat. Curſu autem fatigatæ, laſſatis è manibus elapſus ſimiolus, cùm vrgente vi canum tolli non poſſet, perijt: alter, qui collum matris arctiſsimè aſtrinxerat lacertulis ſuis, conſeruatur. Hunc poſtea illa ſolum ita vehementer, vt prius alterum, amauit.

Fabula oſtendit, vnius ſæpe damna alteri prodeſſe.

BOS ET IVVENCVS.

ANte bouem arantem, quem ætate cōfectum etiam quotidianæ aratri & plauſtri trahendi operæ ſentum & ſqualidum reddiderant, ante hunc igitur exultare nitidus & petulans iuuencus, atque illius

illius ſcabram & nudatam pilis cutem irridere. Paulò poſt arripitur ad immolationem iuuencus, qui cum præter bouem duceretur, demiſſo capite & lento paſſu ingrediebatur. Tum bos: Etſi, inquit, nolim has te pœnas dare laſciuiæ & inſolentiæ tuæ, tamen cum ita ceciderit, delector id me cognoſcere verum eſſe, quod audire etiam de meis parentibus memini: In maximis periculis verſari petulantem iuuentutem: Ac eſſe quidem ætatem hanc per ſe malis obnoxiam, ſed tum maximè, cum accedat iniuriarum & improbitatis vſurpatio.

Præceptum & admonitio fabulæ narratione compræhenduntur.

LVPVS PISCIS.

LVpus piſcis robore & magnitudine eximia præditus, fluuij cuiuſdam imperium tenebat. Hunc ſuperbia & faſtidium præſentis fortunæ ad cupiditatem extulit regni marini. De oſtio igitur fluminis in pelagus enatat, atq; ibi Delphino regnatori occurrens, cum & forma & mole inſueta terreretur, adoriente etiam hunc hoſtiliter Delphino, fuga ſe in amnem ſuum re-

um recepit, neque poſtea vnquam extra oſtium excurrere auſus fuit.

Hæc fabula docet, ne quis ſibi neminem parem reperiri arroganti opinione perſuadeat, ac potius vt cogitet id, quod Teutonico prouerbio fertur: Etiam trans riuum homines inueniri.

PARDVS ET VVLPES.

PArdus fera eſt varijs colorum diſtincta maculis, eam cum vulpe de forma certaſſe accepimns. Diſceptatum fuit coram Erinaceo. Pardus commemorare cœpit, formam eius facilè præſtare reliquis, quorum aſpectu plurimi delectarentur, ſed varietatem habere iucunditatis plurimũ, ſicut prata quoq; inſignia diuerſis floribus maxima oculos voluptate perfunderent. Iuſſa ad hæc dicere vulpecula: Intus me, inquit, de anima, non de pelle noſcito, atq; ita varietatem contra me oſtenta tuam.

Hoc indicat fabula, certiſsima eſſe iudicia, quæ à ſpecie externa quàm longiſsimè abducta ſint.

ICTIS ET VVLPES.

ICtis eſt è muſtelarum genere ſilueſtris quadrupes, cuius pelle obduci quondam

galeas ſolitas tradunt. Quodam tempore cum vulpe igitur ictis iter per patentem campum faciebat, eam vulpes interrogabat: Quid rerum aut artium didiciſſet. Illa, nihil quidem ſe tenere reſpondet, præter mediocrem ſaltandi rationem. At ego, inquit vulpes, centum artibus inſtructa ſum, quarum quæuis, & ad neceſſaria victui paranda, & ad vim contrariam omnia propulſanda, ſatis eſſe poſsit. Ictis igitur venerari, & beatam prædicare vulpem: ſe verò futilem & vita indignam animantem perhibere. Inter hos ſermones exaudiri canum latratus, itaque adeſſe venatorem ictis conijciens: In fugam, inquit, nos demus, audio enim hoſtium noſtrorum vocem. Placidè, inquit vulpes: nondum enim neceſſe eſt accelerare fugam. Cum autem clarior fieret latratus, Fugiamus igitur, inquit vulpes. Cui ictis: Neq; mihi, confirmatæ verbis tuis, nimis feſtinandum videtur. Sed iam conſpectis canibus, Fugiamus ſanè, ait. Atque ipſa in proceram ſtatim arborem ſaltu euaſit: Vulpes verò in aperto campo facilè à canibus depræhenſa fuit, quam illa irridēs, vt vnam promat, hortatur, de centum ſalutaribus artibus

 ſuis:

ſuis:nunc enim neceſſe eſſe.Ita miſera vulpecula & deriſa & dilacerata fuit.

Fabula narratur contra gloriatores vanos, & oſtentatores mendaces.

SIMIÆ.

SImiæ purpuratæ inſtituebantur ad ſaltationem. Cuius cum peritæ viderentur eſſe, productæ fuêre ad ſpectaculum. Saltantibus autem obiecit quidam nuces, quibus viſis, omnibus poſthabitis & neglectis, ad nuces illæ diſcurrere, & de his inter ſe luctari ac depugnare.

Fabula hoc dicit:

Naturam expellas furca, tamen vſq; recurret.

ASINVS CONTROVERSVS.

DVo qui vnà iter faciebant, aſinum oberrantem in ſolitudine conſpicati, accurrunt læti, ac vterq; ſibi illum vendicare, quod ipſe prior conſpexiſſet. Dum cõtendunt & rixantur, neq; à iurgijs abſtinent, aſinus aufugit & ſubducit ſe oculis illorum. Ita dum vterq; nondum præhenſum ſuum eſſe vult, neuter illo potitur.

Fabula docet, inter altercandum multa,

quæ

quæ placido conſenſu retineri potuiſſent, ſolere amitti. Nota etiam eſt ſententia quæ vulgò fertur:

Nimium altercando veritas amittitur.

PISCATORES ET TESTVDINES.

AD nauſeam vſq; ſaturi teſtudinū carne piſcatores, cum etiam multum adhuc illis ſupereſſet, prætereuntem fortè Mercurium ad ſuas epulas inuitant. Qui non ignarus, quippe Deus, quo animo vocaretur, iuſsit ſuas ipſos teſtudines vel edere, vel vomere, neque poſt ſua demum faſtidia conuiuas quærere.

Prodigorum ſtulticia notatur, qui ea alijs tribuunt, quæ ipſi deſpiciunt & paruipendunt, etiam ea, quæ quantiuis interdum precij ſunt.

AQVILA ET SCARABEVS.

LEpus, quem aquila inſequeretur, ad ſcarabei lamulam confugit, & illius auxilium implorauit. Scarabeus petit ab aquila, vt parcat ſupplici, perq; ſummum Iouem obteſtatur, ne deſpiciat tenuitatem

 ſuam.

suam. At illa profligato scarabeo, raptum leporem deuorat. Quam auolantem affe-ctatur scarabeus, vt cognosceret, quo illa loco nidificaret: Ac mox occasionem na-ctus, de nido aquilæ omnia oua, quæ ine-rant, deuoluit per petrarum præcipitia. Aquila re comperta, autori doloris sui valde irata, nidum extruit in multò magis arduis rupibus, & in illo parit oua, sed si-mili euentu. Tum inops consilij ad Iouem aduolat, cuius propria auis esse perhibe-tur, & tertiam fœturam in illius gremio deponit, orans atq; obsecrans, vt tutam præstaret. At scarabeus globulum sterqui-linij eodem deijcit. Quem excussurus Iu-piter, laxata veste oua aquilæ effundit, quę inflicta pauimento, secundum Homerum, æreo, facilè comminuuntur. Cum autem de scarabeo intellexisset, quod ab aquila factam iniuriam sibi hac voluisset ratione vindicare, quod statueret, non solùm sca-rabeum, sed etiam suum numen ab aqui-la læsum atq; violatum esse, reuersam il-lam grauiter obiurgauit, & indicauit ei au-torem malorum, quæ passa esset. Cum ta-men genus aquilarum funditus interire nollet, scarabeum ad gratiam cum aquila reconciliandam adducere tentat: quo ve-hemen-

hementer refragante, aquilæ tum partum tranſtulit ex eo tempore in aliud, quo ſcarabei non apparerent.

Monemur hac fabula, ne quem facilè contemnamus, vtq; cogitemus, neminem eſſe tam abiectum & humilem, qui non ſuæ iniuriæ vindicandæ aliquam occaſionem inuenire poſsit.

VVLPES ET AVICVLÆ.

DIu perpeſſa famem vulpecula, cùm nihil ſucceſsiſſet omnium artium, quas ad victum parandum exercuerat multiplices, tum ſeſe illa præ mœrore animi abijcere humi, & ſecum miſeriam ſuam tacitè deplorare. Aues mortuam ratæ aduolare propius. Illa vbi hoc videt, immobilis manet, & animam continet, ne aues ſpiritu vitam adeſſe intelligant. Securæ igitur accedunt, & in vulpem inſiliunt. At illa, poſtquam cenſuit tempus eſſe, exilit, & compræhendit proximam, ac deuorat. Poſtridie experitur eandem fraudem: Ibi vna (cornix, vt opinor) Non, inquit, ſi tuam pellem in iſta ſepe expanſam conſpicer, in illam inuolauero.

Docet fabula, fraudulentis nunquam

fidem habendam esse: ipsis enim etiam quiescentibus, doli tamen vigent & mouentur.

Aves et Noctva.

NOctuam cum veteres Mineruæ consecrarunt, nimirum auem esse prudentem voluerunt indicare. Hanc narrãt, cum studuissent aliquando ad siluas & in arbores abducere secum auiculæ, hortantes, vt in quadam præclara quercu nidum suum figeret: ipsam non modò parere illis noluisse, sed contrà etiam monuisse, vt quercus illius frondes omnes concerperent rostris suis. Minimè hoc illis facere volentibus, paulò post viscum protulit arbor, quo deinde implicatæ aues, captæ fuerunt, noctuæ sapientiam & salutaria consilia serò collaudantes.

Hæc epitome est narrationis Politiani. Monet autem, non esse spernenda salutaria consilia prudentum.

Cvcvrbita et Palma.

CVcurbita consita ad palmæ radicem, cùm largis imbribus irrigata esset, stirpi palmæ innitens, ad illius se cacumina extulit. Tum interrogare palmam, quot annis

annis ad tantam granditatem perueniſſet?
Cui reſpondit palma: Non minus centum
annis. Tum cucurbita: Quantò te ego ſum
melior, inquit, quæ non dies totidem cre-
ſcendo confeci, & tuam exæquaui altitu-
dinem. Paulò poſt præmatura, & ipſa flac-
ceſcere, & radix amiſſo ſucco non magis
vegetare illam. Ergo quàm temerè de ꝓ-
ceſſu incrementi ſui gloriata eſſet intelli-
gens, & ſuam granditatem contemnens,
futilitatem confeſſa fuit.

Fabula docet, quæ citò oriantur, etiam
citò occidere, vt de ſolſtitiali herba Plau-
tus ait. Et, Subita incrementa fructuoſa
non eſſe. Huc pertinet & hortorum Midę
& Adonidos prouerbium.

Corvvs et Lvpi.

Petebat à lupis partem prædæ coruus,
quos totum diem ſectatus fuiſſet. Cui
illi: Non tu nos quidem, ſed prædam ſe-
ctatus es, eo quidem animo, vt ne corpo-
ribus quidem noſtris velles parcere, ſi ex-
animarentur.

Fabula docet, ſpectari in actionibus nō
tantùm quid fiat, ſed etiam, quo animo &
voluntate fiat.

Mus,

MVS.

MVs natus & educatus intra ciſtam refertam nucibus, fortè delatus in pauimentum, dum in ſuam domunculam redire properat, & circum illam aſſultat, attingit hunc odor ſuauiſsimus ciborum, qui eſſent in propinquo de reliquijs agitati conuiuij repoſiti, quibus guſtatis: Hæc, inquit, vt video, iucundior vita futura eſt illa, quam intra ciſtam vixi.

Fabula imperitos notat, qui nunquam ſuum oppidulum egreſsi, illius vitam & mores optimos & laudatiſsimos eſſe ſtatuunt.

Dici & hac ſententia poteſt, quam adducit ſcribens Trebatio de Medea Cicero: Multi ſuam rem bene geſſere, & publicam patria procul: Multi, qui domi ætatem agerent, propterea ſunt improbati.

AGRICOLA.

ASſiduus Cereris cultor agricola exorauerat Deam, vt ſibi frumenta ſua abſq; ariſtis produceret. Ita enim rebatur, minore cum labore exculpi poſſe. Sed indefenſa grana, de matureſcente tum ſegete, auiculæ excuſſere roſtris, & deuorarunt.

Fabula

Fabula narratur contra votorum ſtulticiam,& oſtendit, imprudentes ſpe parui commodi, in magnum ſæpe malũ deferri.

Accipiter et Colvmba.

COncitatiſsimo impetu columbam inſequens accipiter, intra villam vnà cũ fugiente aue defertur, & capitur à villico. Hunc orat,vt ſe dimittere velit: Neque enim te,inquit, læſi vnquam.Cui reſpondit villicus: Neq;, vt opinor,mei te vnquam læſere,atq; fracta illum gula interemit.

Fabula docet, vindicandas à principibus non minus ſubditorum iniurias,quàm ſi ſibijpſis allatæ eſſent.

Aranea et Hirvndo.

COnſpicata aranea capientem muſcas hirundinem, contra illius volatus explicat retiola ſua, per quæ facilè lata hirundo, celeriter totum opus diſturbauit. Tum aranea: Iſta, inquit, muſcarias plagas nihil moratur.

Oſtendit fabula, imbecilles fruſtrà ſe potentioribus opponere, & hoc ſubijcit: Vana eſt ſine viribus ira.

Amni-

AMNIVM SILENTIA.

RVsticus transiturus flumen, vadum vestigabat. Ac primùm quadam parte se reperturum sperabat, qua defluebat illud placidè, & cum silentio, sed à tentante reperitur magna ibi profunditas. Facit igitur alibi periculum, vbi quidem reperit vadum, aqua verò cum strepitu & impetu decurrebat. Tum ille hæc secum: Non, vt video, inquit, amnium murmura & fremitus, sed silentium & leues sibili metuendi sunt.

Non esse periculum, fabula docet, à clamatoribus & minacibus, sed à mussitantibus & taciturnis. Cæsarem etiam dicere solitum accepimus: Non metui à se Antonium & Dolabellam corpulentos, & rubicundos, sed Cassij & Bruti maciem & pallorem.

COLVMBA ET PICA.

CVr tu, inquit pica columbæ, semper eodem in loco deponis oua tua, atque nullos excludis, neq; redderis prudentior continuis rapinis hominum? Huic columba: Non sinit, inquit, simplicitas me, neq; malè

malè ſuſpicari de alijs, neq; meos ab illorum iniurijs eripere.

Oſtendit fabula, ſimplices eſſe iniuriæ & fraudi expoſitos.

Cvcvlvs et Accipiter.

CVculo & roſtrum aduncum, & acuti ſunt vngues, itaq; generis accipitrum eſſe creditur. Huic aiunt eſſe cibum vermiculos, quos de materia & arborum quoque ramis colligere ſoleat. Atq; talem illi victum exprobraſſe, vt vilem & contemnendum accipitrem ferunt. Quin tu me, inquit, ſpectas, qui auium carnibus veſcor, & cùm generis noſtri eſſe videaris, etiam facta imiteris? Hæc oratio, cum mouiſſet cuculi animum, videt ille paulò pòſt captum accipitrem, alligatum collo, pendere de tecto alti columbaris, in terrorem aliorum accipitrum. Tum igitur ita cuculum locutum accepimus: Nunc mihi etiam ſuauiores mei vermiculi, & gratior illa eſca futura eſt, ſine periculo parabilis: Neq; ego lauticias moror, quæ tanto diſcrimine petuntur.

Docet fabula, mediocritatem tutam optabiliorem eſſe, quàm ſit periculoſa excellentia.

Aſinus

Asinvs et Vitvlvs.

IN vno agro paſcebantur aſinus & vitulus. Cum autem ſignum auditum eſſet aduentus hoſtium, quod de more ſolebat dari pulſato ære: Fugiamus, inquit vitulus, ne in poteſtatem hoſtium deueniamus. Cui aſinus: Fuge ſanè, inquit, cui cædes & mactatio ab iſtis impendet: mihi periculum nouum nullum obijcitur, quē ſeruiendi & ferendorum onerum conditio eadem manet, tam apud ciues, quàm apud hoſtes.

Fabula docet, certæ & exploratæ miſeriæ cum alia miſeria commutationem nō eſſe pertimeſcendam.

Pastores.

PAſtores cæſa oue conuiuium intra tabernaculum agitabant. Quod cum lup[9], qui prædandi cauſa caulas circuibat, fieri cerneret: Ego, inquit, ſi agnum rapuiſſem, quantum tumultus excitaretur! At iſti impunè parentem vorant. Tum vnus his auditis: Noſtra enim, inquit, ſcelerate, non aliena oue epulamur.

Docemur hac fabula, & potentes impunè

punè peccare, & horum delicta non facilè reprehendi à quouis debere.

Narratur fabula eadem sententia & de mulierculis comedentibus gallinam, ac vulpe, quæ dixerit: Ego si hoc facerem, omnes iam canes in me incitarentur.

CAPI.

GAllinacei castrari solent, ita celerius pinguescere existimantur. Horum magnus numerus in villa alebatur, cumque omnes opimi redderentur cibo largo & curatione diligente, in vno tantummodo nihil proficiebat sagina, huius macilentiam irridebant cæteri. Mox cum audissent imperium heri, pinguissimi quiq; vt iugularentur ad cœnam, affuturos enim hospites, intellexêre stulti, quantopere sibi & vitæ suæ carnes, quibus dudum superbijssent, contrariæ & nocentes essent.

Consolatur fabula tenues & pauperes, illorumque vitam docet esse multò tutiorem, quàm sit locupletum, &, vt Græci loquuntur, τῶν παχέων.

EQVVS NOVITIVS.

MErcatus quidam equum, cum prius haberet valdè strenuum, aliquantò

cum maiore cura illum aluit, quàm alterum. Hoc mirari ipſe quoq;, atq; de ſocio cauſſam exquirere. Quid enim, inquit, eſt, cur me impenſius curet herus, multis nominibus te inferiorem? Neq; enim forma, neq; velocitas, neq; vires meæ cum tuis comparandæ ſunt. Cui ille: Nihil, inquit, nouum neq; mirum herus facit, ſed hominum more prioribus poſteriora, & recentia vſitatis præfert.

Fabula leuitatem vulgi notat, & nouarum rerum ſtudium.

CANIS ET SVS.

AD aucupia canes diligenti & exquiſita cura atq; ratione erudiri & inſtitui ſolent, & ad ſilentia, verberum minis & aurium vellicatione aſſuefiunt. Certæ autem nationis hi deliguntur, quorum inprimis bona ſagaxq; natura ſit. Huius generis vni iſtam ſeruilitatem exprobraſſe opimum & pinguem ſuem aiunt. Cui ille: Se non pœnitere breuis moleſtiæ, reſponderit, qua vitam ſibi comparaturus ſit delicatam, neq; pigere in præſentia tædij aliquantulum deuorare, vt lautiſsimis diu poſtea cibis perfruatur.

Fabula

Fabula hortatur diſcipulos bonarum artium & virtutis ad labores, qui in diſcēdo exhauriendi ſint, perferendos ſpe maximorum commodorum, & iucundiſsimæ vitæ.

Trabs et Boves.

QVi trabem boues trahebant, vnde tignum fieret, increpabantur ab illo, quod anhelantes in pigritia lento gradu incederent. Cui vnus de bobus: Nos tamen, inquit, hoc mox onere liberati acquieſcemus, cum tibi paulò poſt imponendum vſq; ad cariem ſit ſuſtinendum.

Subijcit fabula præceptum humanitatis, vt vereamur inſultare miſeris, cum fieri poſsit, vt nos multò maior calamitas maneat.

Carduelis.

AVolarat carduelis, quam diu puer in delicijs cicurem habuerat Hanc ille geſtu & voce reuocare, & dare operam, vt blanditia verborum pelliceret ad reuerſionem. Nam cur,inquit, mea tu fugis, aut quid tibi triſte aut contrarium dum mecum fuiſti, vnquam accidit, vel quid

potius ad beatam vitam defuit? Nihil, inquit illa, ſed meo arbitratu viuere mihi maximè libet.

Docet fabula, nullum bonum libertatis bono melius aut præſtantius eſſe. Et illi Spartani in Polymnia, Perſam, aiunt, ſi ſciret, quàm ſuaue eſſet in libertate viuere, autorem ipſum futurum fuiſſe, οὐκ ἂν δόρασι περὶ αὐτῆς μαχέσασθαι, ἀλλὰ καὶ πελέκεσι.

V P V P A.

IN aquilæ nuptijs ferunt ſeſe vpupam reliquis auibus hoſtibus prætuliſſe, & criſtas altè erexiſſe, & genus etiam regium iactitaſſe. Sed huic dixiſſe ciconiam accepimus, par non eſſe, vt primas teneat auis, cuius nidus nunquam ſtercore careat.

Monet fabula, non eſſe honeſtatem de ornatu, ſed de vitæ ratione æſtimandam.

G V L Æ D E D I T V S.

GVlæ deditus quidam ad epulas inuitatus in rus, quod abeſſet paulò ab vrbe longius, dum proficiſcitur, ſpe ſingularium lauticiarum & opipare inſtructarum dapum, in itinere pira reperta ita ſpreuit, vt etiam per deriſionem lotio ſuo aſpergeret.

geret. Cum autem riuus, quà transeundum fuerat, subitò ea nocte ad altitudinem excreuisset tantam, vt cum manifesto discrimine ingressurum se ille aquas intelligeret, redire tristis, atq; post ereptam spem copiosi cibi acerrimè etiam esurire cœpit. Itaque cùm ad pira, quæ dudum comminxerat, venisset, detersa illa arrosit, & hanc escam obiecit ieiunis & latrantibus intestinis.

Fabula docet, contemtus & fastidij sæpe has pœnas dari, vt quæ paulò ante homines spreuerint & abiecerint, ea mox appetant & amplectantur.

EQVVS ET PORCVS.

ALacriter ad pugnam equus & armatus ipse, & armatum equitem vehens, proficiscebatur. Hunc conspicatus porcus de luto, in quo volutabatur, Heus tu, inquit, quò properas, ignarus, an vitam in prælio amissurus sis? Cui equus: Etiam tibi, inquit, mors impendet, & quidem oppetenda sine laude, vbi tuo domino satis pinguis factus esse videberis. Ac mihi quidem animam, si ita cadat, viri fortis, tibi lanij manus ereptura est.

Fabula honeſtam mortem non nimiùm pertimeſcendam, docet, cum etiam in ſumma ignauia illa euitari non poſsit.

Venator et Cerdo.

Cerdo ad venatorem quodam tempore deueniſſe dicitur, & petijſſe ab eo, ſibi vrſi pellem vt venderet. Venator ſibi illo tempore vrſi pellem non eſſe reſpondit, ſed ſi vellet pecuniam numerare, curaturum ſe poſt dies paucos vt haberet, cum vrſum cepiſſet, cuius luſtrum iam ſibi exploratum eſſet. Itáne, inquit cerdo, facilè eſt vrſum capere? Mihi quidem, inquit venator, nequaquam difficilè hoc fuerit, inter feras, & in ſiluis penè à puero verſato. Licétne, inquit cerdo, te comitari? nam mihi libet ſpectatorem eſſe talis venationis. Licet, inquit venator, mecum perendie in ſiluam abeas. Quò cum eſſet ventum, apparuit ſtatim vrſus, belua ingens & horribilis. Cerdo tum celeriter arborem conſcendit. Venator adortus feram fortiter: cum tamen hæc excuſsiſſet ictum, recordans quòd audijſſet, non ſolere vrſos cadauera morſu attingere, in terram ſe, quaſi mortuus eſſet, abiecit. Vrſus autem nari-

naribus ad os & aures illius admotis captare anhelitum, & tentare, an ſpiraret. Sed illo animam continente, vrſus mox diſceſsit. Tum igitur & venator ſe erexit, & cerdo de arbore deſcendit, atq; iam animis receptis, inter alios ſermones percontari cerdo de venatore, quid in aures ipſius fera inſuſurraſſet? Cui venator reſpondet: Monuiſſe illam diligenter, ne poſthac vnquam vrſi pellem nondum capto & confecto ipſo, vendendam exiſtimaret.

Fabula hoc, quod Græcum prouerbium, Non eſſe ante victoriam exultandum, admonet, ne ſecuritate & temerarijs animis dubia pro certis habeamus.

Leo et Mvs.

LEo captus laqueo, orat murem, ſe vt coroſis plagis liberet de impendente interitu, promittitq́;, ſe accepti beneficij nunquam eſſe obliturum. Mus facilè, quod leo flagitarat, cum effeciſſet, petijt ab illo, vt filiam ſibi collocaret in matrimonium ſuum. Leo, quamuis res ea ſibi videretur indigna & abſurda, noluit tamen autori vitæ & ſalutis ſuæ, quod poſtulauerat, denegare. Spondet igitur filiam,

ſed hoc tamen monet, cogitet muſculus, vix fieri poſſe in tanta inæqualitate, nuptiæ vt felices ſint. Sed mus in ſententia permanſit. Cum igitur noua nupta leæna iuuencula & ferox ad maritum deduceretur, obuium eum, non viſum neq; animaduerſum, pede conculcatum obtriuit.

Fabula oſtendit amicitias potentum eſſe periculoſas, etiam non rarò damnoſas humilibus, & paruorum ſodalium eſſe expetendum vſum paruis. Sed & hoc monet, quod prouerbium Græcum, tranſlatum de turbinis ludo, Agitandum aptum & conuenientem. Vnde hoc factum:

Quæ cupis egregiè nubere, nubè pari.

CERA.

CEra inuidebat lateribus duritiem, quã de igne conſequi illos videbat. Abiecit igitur & ſeſe in flammam, futurum ſperans, vt & ipſa indureſceret: ſed contrà accidit, celeriter vt difflueret, & liquefacta ab igne conſumeretur.

Docemur, non eſſe appetenda ea, quæ ſint à natura nobis denegata.

AGRICOLA.

Cum

CVm esset pertæsum agricolam sempiterni laboris in terra fodienda & aranda, inq; varia & difficili cultura aruorum, animum ille ad militiá adiecit, quod multos audisset, rem & famá belli gloria quæsiuisse. Fundo igitur vendito, exornatus & instructus armis cæterisq; rebus necessarijs militatum abit. Sed re malè gesta vulneribusq; acceptis vix seruatus de prælio, mercaturas potius facere statuit, quod & his locupletatos & auctos quamplurimos animaduerteret. Nauem igitur conducit, & merces comparatas diuersorum generum in illam imponit, spe magna futuri lucri. Sed cum veheretur in mari, de improuiso (vt fit) tempestas oritur, & naui fracta, ipse vnà cum mercibus fluctibus obruitur atq; perit.

Fabula hoc dicit: Mutantes conditionem & fortunam suam, plerunque quod fugerint relinquendo, alibi reperire duplicatum.

A M N I S.

COntemsisse præ se amnis fontes suos fertur, cum & ipse piscibus abundaret & flumine largo, nec non grato alicubi

murmure delaberetur. Quin etiam, inquit, tu intra muſcos iſtos tuos & herbulas delites, ego præter & amœniſsima loca terrarum, & celeberrimas vrbes, & populos ac gentes maximas feror. Fontibus offenſis ſuperbia & proteruitate alumni, placuit reprimere ſcaturiginem ſuam. Ita origine extincta, celeriter defecerunt vndæ fluuij, & amnis exaruit.

Notat fabula eos, qui ſibi arrogant autoribus ea bona, quæ aliunde accepêre, & docet, ab ingratis deterrimi vicij grauiſsimas pœnas dari ſolere.

Cornicis consilivm.

AVes deliberabant de creandis pluribus regibus, quod ſola aquila tam lati imperij habenas moderari poſſe non videretur. Sed cornix hoc agendum non cenſuit: Nam & facilius, inquit, atq; citius vnum dolium completur, quàm multa, & ad plura diuerſaq; ſigna eodem momento oculos dirigere quis poſsit?

Fabula & populis multitudinem imperantium onerosam eſſe, & non bene regere plures indicat, ſecundum ſententiam Homericam:

Non

Nõ bene turba regit: Rex gentib. imperet vnus,
Vnus & acceptas rerum moderetur habenas,
Qui Saturnigenæ tenet iſtud numine donum;
Vt ſceptro populos & iure coërceat æquo.

Proximvs sibi qvisqve.

CViuſdam perquam laudatæ fœminæ maritus grauiter ægrotabat, neq; poſſe diu viuere credebatur. Hoc illa ita dolenter ferre, vt mortem ſæpiſsimè lamentis & eiulatu maximo citaret ad ſeſe pro marito tollendum. Dicitur tum mors toties vocata tandem affuiſſe. At illa territa horribili ſpecie, & perculſa animo, mutataque ſubitò voluntate, mortem ad lectulum deduxiſſe fertur, & indicato viro eum eſſe dixiſſe, cui eſſet moriendum.

Doctrina fabulæ præſcripta eſt. Omnes enim aiunt, ſibi melius eſſe velle quàm alteri.

Adolescens cantans in funere matris.

DVcebatur funus defunctæ mulieris prodeuntibus vnà patre & filio, conductisque qui monodiam, vt fit, concinerent. Ibi filius inter lugentes incedens

cum

cum patre, & ipſe cantare cœpit. Pater autem increpat adoleſcentem, & dicit, inſanire qui in luctu cantitet. Adoleſcens autem: Quid ego igitur, inquit, ago aliud, quàm iſti, quos ad concinendum tu conduxiſti? Sed non decet, inquit pater, te hoc tempore, quod illos.

Fabula docet, omnem laudem vitæ, & id quod decorum vocatur, totum temporibus & loco & perſonis contineri.

Aſinus ægrotans.

Increbuerat fama, &c. ſupra pag. 123.

MVLIER ET NVX.

MVlier nucem interrogaſſe dicitur, quare afflicta illa demum vberes fructus ferret? Quia enim & tu, inquit nux, verberibus affecta melior reddi, & aſinus plagis incitari ſolet.

Fabula docet, quod in alium dicatur, audiendum etiam eſſe, iuxta verſum Homericum:

ὁπποῖόν κ' εἴπησθα ἔπος, τοῖόν κ' ἐπακούσαις.

ASINI VOTA.

CVM hyems aſino ob frigus & arida pabula admodum grauis videretur, expetebat ille ardentibus votis verni temporis viriditatem & teporem. Sed illo tempore, cùm crebriore agitatione exerceretur, æſtatem aduenire optauit. Quæ cum pręter alios labores etiam onera frumenti ex area, & fructus ex hortis deportandos ipſi imponeret, reliquus erat autumnus, quem expectabat quietiorem. Sed per illum quoq; vindemię & lignatus moleſtijs, & defatigationibus preſſus, ad hyemis reuerſionem deſiderium ſuum retulit.

Docet fabula, totam vitam in laborum tempora diſtribui. Nam ſecundum Menandri verſum:

δεῖ τὰς φροντίδας, μέχρις ἂν ζῶσιν, ποιεῖν.

Notat & vulgarem leuitatem, quæ pręſentem fortunam nunquam boni conſulere ſolet, ſecundum Horatianum hoc:

Optat ephippia bos piger, optat arare caballus.

MVRES ET FELIS.

MVres felem placidè accubantem cum multum & diu contemplati fuiſſent, tum vnus: Libet, inquit, cum iſta mitiſsima (vt apparet) & manſuetiſsima animante fa-

te familiaritatem contrahere. Atq; his dictis ad felem accesſit, & blandè compellauit, quæ illum ſtatim compræhenſum dilacerauit. Hoc intuentes alij mures: Quantopere, inquiunt, noſtrum popularem ſpecies fefellit!

Fabula docet, de vultu & ſpecie animũ atque mores certò intelligi non poſſe. πολλάκι γὰρ γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι. Et impoſtores & inſidioſi ſimulant beneuolentiam, & odium atque conſilia pernicioſa tegunt, ſecundum hoc, Οδυσ. ς'.

ἐσθλ' ἀγορεύοντες, κακὰ δὲ φρεσὶ βυσσοδόμευον.

Et hoc, Οδυσ. σ'.

οἵτ' εὖ μὲν βάζουσι, κακῶς δ' ὄπιθεν φρονέουσι.

Asinvs lapsvs.

Asinus poſt longam & probatam ſeruitutem ſuam, & multas onerum atque baiulationum egregias operas, quodam tempore ſub valde graui onere, cum ad ſaxum improuiſum offendiſſet, in via cecidit. Tum accurrit agitator, & acerbiſsimis verbis, atq; vehementibus etiam plagis illum petit. At aſinus ſecum, & ſuam conditionem deplorare, & accuſare ingrati domini ſæuitiam, qui oblitus omniũ prio-

priorum, ob vnam fortuitam offensam tam grauiter se affligeret.

Fabula significat, ferè homines, quid quoq; tempore fiat, non quid aliquando factum sit, spectare, & vnum sæpe delictũ memoriam multorum egregiè factorum inducere ac delere.

HYSTRIX ET LVPVS.

HYstrix Africanum & Indianum esse animal perhibetur, non absimile erinacio, sed longioribus aculeis armatum, & ijs quidem misilibus, quos soleat eiaculari in persequentes. Huic insidians lupus, vt spicula ponat, neq; se illis sine causa perpetuò oneret, suadet. Cum autem opus sit, & res poscat, tum vti resumat. At illa, Nunc igitur, inquit, his opus: Nam lupo inermem occurrere periculosum est.

Fabula monet, vt aduersus hostium & inimicorum vim ac fraudes semper muniti & defensi esse studeamus.

MVS ET MILVIVS.

IRretitus & implicitus laqueis Miluius, exorat musculum, se vt liberet. Hoc ille facilè corrosis plagis effecit, tum miluius eum arripit & deuorat.

Osten-

Oſtendit fabula, quam gratiam pro beneficijs acceptis mali reddere ſoleant.

Testvdo domigera.

ALiud alijs animantibus â Ioue donum petentibus, facultatem hanc petijſſe teſtudo fertur, domum vt ſuam abſq; incommodo quolibet ſecum circumferre poſſet. Quid ad hoc petendum ipſam moueret interrogata, reſpondit: Malorum vicinorum metum, in quos ſi fortè incidiſſet, nihil eſſe negotij futurum, vt migratione ſua declinaret, ſi domum portabilem haberet.

Infamat vicinitatem improborum fabula, rem deterrimam & execrabilem: bonorum autem vicinitatem commendat, ſecundum Heſiodi verſum:

πῆμα κακὸς γείτων, ὅσσπερ τ᾽ ἀγαθὸς μέγ᾽ ὄνειαρ.

Erinacivs et Vipera.

IMpetrauerat à vipera erinacius, per brumæ frigora in ſuam ipſum vt cauernam acciperet. Cum autem in anguſto loco ſpinis hoſpitis pungeretur vipera, poſtulat, vt ſuam domum ſibi relinquat, & aliò

aliò demigret, cum intelligat illam ambos capere non posse. Sed erinacius fertur respondisse: si quis durare illic nequeat, ei sua caussa vt exeat licere, sibi discedere in animo non esse. Si vipera habitatione offendatur, posse hanc mutare. Ita hospitis iniuria cauernam suam illa amisit.

Fabula monet, ne cum illis nos facilè coniungamus, in quorum potestate nos, aut res nostræ postea futuræ esse videátur.

Lepvs et Vvlpes.

ANteponebat se vulpi lepus, cui pedum pernicitate præstaret. At vulpes dicere, se ingenio vincere, cuius esset multò & frequentior & præclarior vsus, quàm pedum.

Fabula incredibilem esse ait bonitatem prudentiæ, neq; corporis maximas dotes, cum minimis animi dotibus comparari rectè posse. Itaq; & ab Apollonio introducitur præclarè Amphion, qui suo cantu bis tantò maiorem lapidem alliciat, quàm nitendo summis viribus Zethus afferre potuisset.

Lvpvs.

INduerat pellem ouis lupus, atq; cum ita ignoraretur, aliquantiſper impunè in gregem fuit graſſatus. Sed paſtor mox animaduerſa fraude, necatum hunc de arbore ſuſpendit. Hoc qui pelle decipiebantur admirantibus: Pellis quidem eſt, paſtor inquit, ouis, ſed ſub hac lupus latebat.

Habitus & vultus indicia non habenda pro certis, fabula docet, ideoq; facta & rẽ ſpectari oportere.

Canis et Pastor.

PAſtor depræhenſum canem, cui cuſtodiam gregis commiſerat, in cæde & deuoratione ouis, arripit interfecturus, ſicuti commeruerat. Cui canis: Cur tu, inquit, tuos vis perdere? Meos quidem, inquit ille, nocentes & ſceleratos multò quàm externos magis, præſertim eos, à quibus fidelitatem & beneuolentiam ſperauerim.

Fabula hoc monet: Non mirandũ neq; grauiter ferendum, ſi inimici nos lædant, qui profiteantur odia ſua, vt niſi cauerimus, neminem niſi noſipſos accuſare debeamus. Sed hoc eſſe indignũ & animaduertendum, ſi amici & beneficijs à nobis affecti animum mutent, & fallant opinionem

nem noſtram, & inſidientur capiti fortunísue noſtris.

Aries et Tavrvs.

ARies, qui inter pecora principatum teneret, ſuperbia elatus, cum tauro cōgredi auſus fuit. Qui ita illum accepit, vt moribundum relinqueret, in deploratione temeritatis & ſera pœnitentia.

Fabula monet, non eſſe adoriendos viribus præſtantiores.

Asinvs pvnicevs.

FErtur quodam tempore mater fuiſſe hortata iuuenculam filiam, cuius ante aliquot menſes maritus mortuus fuiſſet, alteri vt nuberet. Filiam aiunt dixiſſe, cupere quidem ſe obſequi illi, ſed reformidare ſermones hominum. Tum matrem fœminam prudentem accepimus, puniceo colore aſinum domeſticum curauiſſe inſici, vt noua illa ſpecies omnibus eſſet admirationi. Itaq; quàm plurimi primum ad conſpectum accurrere. Poſtero autem die diminui ſpectantium numerus, tertio deinde & quarto magis. Poſtremo ſolus aſinus iam vt antè incedere. Hoc exemplo

docuit filiam mater, sermones hominum de coniugio secundo ipsius, etiamsi existerent aliqui, tamen futurum, vt celeriter illi conticescerent.

Fabula docet, insolita omnia tempore exuere admirationem.

AQVILA ET CVNICVLVS.

AQuila raptos pullos cuniculi detulerat in nidum suum, quem in altissima arbore fixerat. At mœsta mater, vt suis parcat, per omnes illam Deos miserorum curatores obtestatur. Sed aquila cuniculi precibus contemtis, & despecta humilitate, dilacerat pullos cuniculi, & suis præbet discerpta membra. Hic verò dolore & ira commotus, suo cum genere conqueritur aquilæ vim, & vt quisq; sibi idem, quod ipse pertulerit, accidere posse cogitet, neq; illud facinus impunè ferre aquilam sinant, hortatur. Ita concorde illi studio ad eruendam arborem, in qua nidularetur aquila, conueniunt, & egesta à radicibus illius terra, omniq; circum eam solo specubus excauato, ita impulsa arbor leui flatu paulò pòst in terram prosternitur. At pulli aquilini partim ruina, partim raptu terrestrium

reſtrium ferarum, interiêre, & orbitati cuniculi gratiſsimum ſpéctaculũ præbuêre.

Docet fabula, ne quis potentia aut viribus fretus alium quemlibet deſpiciat: Nam & infirmitatem ſæpe acceptas iniurias vlciſci.

Ovis et Pastor.

EXpoſtulabat cum paſtore ouis quodam tempore, quod non contentus omne lac emulgeret ſibi, lanam etiam detonderet, & cuticulam nudaret: atq; inter hæc & maledicere illi audebat. Tum paſtor iratus, arripuit agnum primigenum illius & mactauit. Ouis etiam pœna, vt multi ſolent, reddita commotior: Quid ergo nunc reſtat, inquit, quod malefacias? Egóne tibi, inquit paſtor? Te etiam vt iugulem ipſam, & pellem detraham de corpore tuo, carnibuſq; paſtus oſſa tua proijciam canibus, & pellem tradam macerandam pellioni. Siluit igitur ouis maiorum malorum metu repreſſa.

Fabula ſubijcit præceptum moderationis, ne indignatione irritemus aduerſa, πρὸς κέντρον λακτίζοντες. Docet hoc quoq;, Grauibus malis & ærumnis elationem animi reprimi ſolere.

ROTA ET VECTOR.

QVare tu, inquit rotæ viciatæ vector, totum hunc diẽ nobis ſtridores tuos obgannis? Quia enim, inquit rota, grauiter laboro, & vehementer afflicta ſum, quî ergo poſſum non queri atq; lamentari?

Fabula oſtendit, miſeris & calamitoſis ignoſcendum eſſe, ſi fletus & querimonias vſurpent.

VVLPES LEPORIS LAVdatrix.

CVm non procul abeſſet, quin canis vulpem inſequens illam depræhenderet: conuerſa ad auxilium fraudulentiæ vulpes, cùm forte leporem in propinquo conſpexiſſet, miris modis collaudare cani ſuauitatem carnis leporinæ. Canis vulpe relicta leporem cœpit ſequi. Hic verò celeritate pedum elapſus, grauiter accuſare poſtea vulpem, à qua cani proditus eſſet: At enim ego te, vulpes inquit, ſtudioſè laudaui.

Malorum laudes eſſe nocẽtes, docetur.

VVLPES ET LEPVS.

ORabat vulpes Iouem, vt calliditatẽ ingenij ſui velocitate curſus ornare vellet.

let. Lepus autem celeritati suæ adiungi versutum animum petebat. Iouem his ferunt respondisse: A se in animantes singulas liberaliter esse certa dona & beneficia collata, neq; vni se largiri omnia oportuisse. Hanc enim benignitatem erga vnumquempiam, summam iniquitatem erga vniuersos alios futuram fuisse.

Hoc ait fabula, Nō vni dat cuncta De⁹.

EQVVS INORNATVS.

COmpluribus equis ad certamen cursus & celeritatis comparatis, & secundum factiones ornatis, cùm phaleris, tum coloribus conspiciendis & illustribus, vnus inter eos cum loris cotidianis, firmis illis quidem atq; habilibus frenis, sed minus versicoloribus & speciosis, etiam productus fuerat. Hunc igitur ridere alij, & præ se quisq; contemnere. Postquam autem ad certamen ventum fuit, hic palmam obtinuit.

Subijcit & hæc fabula sententiam Theognidis, Sæpe decipi animos specie. Et docet, Non spectandum habitum & ornatum, sed virtutem: Latet enim sæpe sub pallio sordido sapientia.

Vox Hoedi.

Repulſus ſæpenumero clientulus pauper à patrono, qui ſibi non vacare, quoties ille aduenerat, diceret: affert tandem tenellum hœdum in ædes illius, & ſtans in atrio vellicabat hœdum, vt vox illius exaudiretur. Tum patronus ſuis, Ecquis adeſt, inquit, qui conſulere vult? Et clientulo toties antè repulſo, Quid narras, inquit, tu? Cauſſaq; cognita, conſilio adiutum, dimiſit.

Fabulæ eadem eſt doctrina, quæ Ouidianæ ſententiæ, Placari donis deos & homines.

Senex et Adolescens.

Conſpectum ſenex adoleſcentem, qui de ſua arbore poma carperet, hortatur, vt aliena ne inuadat, atq; rapiat. Hunc adoleſcens de arbore irridere, & poma, vt cœperat, decerpere. Tum ſenex: Herbas, inquit, audiui magna vi & efficacitate pollere: vellit igitur herbas, & contra adoleſcentem proijcit. Hic verò in cachinnos effundi, & ſenem delirare credere. Ibi ſenex: Nihil quidem herbarum, inquit, vt intel-

intelligo, vires erga istum valuêre, sed & lapides, de quibus sæpe mira, quantum illi possint, audire memini, experiar, atq; collecta saxa in furem coniecit, atq; illum de suis pomis facilè abegit.

Fabula Terentianam subijcit sententiam: Omnia prius experiri, quàm armis, sapientem decet.

Docet & hoc, Senilis prudentiæ, quæ huius ætatis propria est, esse impetum lentum, sed vehementem.

LVSCINIA ET ACCIPITER.

LVscinia accipitrem, à quo compræhensa fuerat, orabat, se vt dimitteret, neq; id eum gratuitò facturum esse aiebat. Precium quodnam futurum esset roganti accipitri respondit, Suauissimi carminis sonus. At ego, inquit ille, non aures meas, sed ventrem expleri cupio.

Fabula potest ad duos sensus, eosque dissimiles accommodari. Primum, vt intelligamus, imperitos homines liberalibus studijs atq; artibus non capi. Alterum, necessaria iucundis anteferri oportere.

CVLEX ET APES.

BRumæ frigore & inſuper fame laborans culex, ab apibus petijt, intra ipſorum aluearia recepto ſibi vt cibum impertirent, ob quod meritum ſe illorum filios canendi artem edocturum eſſe pollicebatur. Tum vna de examine: Nihil, inquit, tua eſt arte opus liberis noſtris, qui à nobis multò meliorem & magis ſalutarem diſcere poterunt.

Monet fabula, ita inſtituendos liberos, & eiuſmodi artibus inſtruendos, vt ſua opera ipſi victum ſibi quærere ſciant.

Leo, Asinvs, Lepvs.

LEo cùm bello contra volucres ſuſcepto, copias ſuas recēſeret, prætereunte aſino & lepore, quas nam ad res vti poſſe ſperaret, vrſo interroganti reſpondit: Aſino tubicine, & lepore tabellario.

Fabula docet, neminem eſſe tam paruum aut humilem, cuius non aliena in re opera vtilis eſſe poſsit.

Accipitrvm Pax.

ACcipitres quodam tempore inter ſe acerrimè belligerabantur. Hos columbæ in gratiam reducere, & à dimicatione mutuiſq; cædibus abducere conatæ, perfecêre,

fecêre, vt pacem illi inter ſe facerent. Qua firmata, tam in columbas, quàm in reliquas minutas auiculas ipſi concordes, vim & vngulas conuertere.

Fabula docet, vtiles eſſe ſaluti bonorum diſcordias malorum, vt ferunt Melanthium ſine ioco ſeu ſeriò, dicere ſolitum: Rempublicam Athenienſium ſeruari diſſidijs oratorum. Quòd, cum non incumbant vniuerſi quaſi in vnum latus nauigij, fiat, vt ab altera parte veluti pondere oppoſito adminiſtratio liberetur.

De mortis nvnciis.

CVm Hercules reliquiſſet ſuperatum Letum ad buſtum Alceſtidos, vbi illud iaceret anhelans & exanimatum, miſertum illius quendam Pheræum, qui tranſiens aſpexiſſet, recreaſſe ipſum & perfeciſſe ferunt, vt vires priſtinas recuperaret. Ob hoc beneficium Letum promiſiſſe illi memoriam à grati animi, & cum non prorſus parcere ei poſſet, non tamen ſe oppreſſurũ eſſe de improuiſo benefactorem ſuum, ſed miſſurum prius, qui monerent, quiq; indicarent, quod appropinquaret Letum. His pollicitis Pherĕus elatus, animo ſecuro vitam egit, cumq; minimè metueret, Letum ad ſe

ad ſe auferendum adeſſe cognouit. Queſtus igitur ille grauiſsimè perhibetur, ſe circumuentum fraude arripi, & Leti vanitatem accuſaſſe, neminem enim prænunciaſſe aduentum ipſius. Cui Letum narrant demonſtraſſe, plurimos à ſe nuncios ad eum perueniſſe. Nam & annos ante ſex febri, & poſt duos rurſum grauedine ac deſtillationibus eum laboraſſe: Intereaq; ſæpe cum tuſsi, ſæpe capitis doloribus conflictatum, proximè etiam anhelaſſe. Quibus omnibus, vt accedentis Leti nuncijs, non longiſsimè illud abeſſe commoneri debuerit. Quin etiam, inquit, paulò ante aduentum meum, germanum fratrem ad te miſi, veternoſum illum ſoporem, in quo aliquantiſper pro mortuo iacuiſti. Ita probata fide ſua, quodq; promiſſum feciſſet, Pheræum lamentantem & muliebriter eiulantem abripuit.

Docemur de valetudinis imbecillitate, & morbis cognoſcendam mortalitatem: neq; mortem omnibus neceſſariò oppetendam, nimium perhorreſcendam eſſe.

VVLPES ET HIRCVS.

SIti correpti hircus & vulpes, in profundum puteum deſilierunt, cumq; illam ſeda-

ſedauiſſent, hircus cœpit circumſpicere & quærere, quà de aquis euadere in terram poſſet. Cui vulpes: Bonũ, inquit, animum habe, nam mihi conſilium ſubijt, quo vſi ſeruari poſsimus ambo. Si enim te in poſteriores pedes erigens, priores parieti iſti applicueris, & caput altè, cornua vt obliquè reclinentur, extuleris: tũ ego de tergo tuo in hæc aſcendere, atq; deinde exilire de puteo, & te mox etiam attrahere facilè potero. Ad hæc cùm ſe hircus paratum eſſe diceret, & obſequentem præbuiſſet, euaſit de puteo vulpes, atq; ibi læta circum fauces exultare, & deridere hircum cœpit. Ille verò hanc grauiter accuſare, & perfidiæ inſimulare. Cui vulpes illudens: At tu, inquit, hirce, ſi tam cordatus eſſes, quàm barbatum eſſe ſcimus, nunquam in iſtum te locum, non explorato reditu, immiſiſſes.

Significatur hac fabula, viros prudentes, priuſquam quicquam aggrediantur atq; incipiant, præuidere & conſiderare, quònam illud euaſurum, & quem finem habiturum eſſe videatur.

Gallinæ et Perdix.

Qui

QVi delectabatur alendis gallinis, allatam sibi fortè perdicem addidit ad cohortem illarum. Quæ cum miseram morsibus impeterent, & ab esca repellerent, singulari illa dolore animi afficiebatur, quod sibi hoc, quæ aliena esset, eoq; illis nomine inuisa, accidere putaret. Paulò post videt ipsas quoq; illas se mutuò conscindere. Tum se consolata, Si inter se, inquit, istæ inimicitias gerunt, neq; parcunt sibi, ferenda scilicet & mihi æquo animo fortuna mea.

Hoc fabula sibi vult, prudentibus magno esse solatio considerationem communis sortis & conditionis, cum animaduertent, neminem esse, cui non mala & aduersa plurima obijciantur: Eosdem libenter etiam comparare sua mala cum aliorum malis, qui respectus sæpenumero opinionē magnitudinis his adimere soleat.

Gloriator.

Reuersus in patriam &c. sup. p. 148.

De Apollinis tentatore.

Tentaturus Apollinem, deorum, &c sup. pag. 93.

MVLIER ET GALLINA.

MVlier vidua gallinam habebat, quæ ſingulis diebus ouum vnum pariebat, quæ ſi curaret diligentius,& ſaginaret gallinam,ſperandum eſſe exiſtimabat, vt bina aut terna illa quotidie oua pareret. Cùm autem cibo ſuperfluo opima gallina et pinguis facta eſſet, planè tũ parere oua deſijt.

Oſtendit fabula,cupiditatem & auaritiam ſæpe detrimentoſam eſſe. Et ſcripſit Demoſthenes hæc quoq; præclarè: Rebus ſecundis non eſſe modum neq; finem cupiditatum. Itaq; multos ſæpe auidos fortunę melioris præſentia bona amittere. Et ſecundum Ariſtotelem: ἄπληστον ἡ πονηρία τῶν ἀνθρώπων, Id eſt, inſatiabiles ſunt cupiditates improborum.

VVLNERATVS A' CANE.

QVem canis momorderat circumiens medicũ quærebat. Cui notus quidam obuiam factus, cognita re, ſuaſit vt in panem recentem exprimeret cruorem & ſaniem vulneris, atq; comedendum hunc obijceret cani, à quo læſus eſſet. Id enim ſalutare ipſi futurum eſſet. Tum ſaucius

cum

cum risu: Hoc remedio, inquit, ego scilicet in me omnium, qui in vrbe sunt, canum morsus irritauero.

Docet fabula, nullo beneficio prauos ab iniurijs deduci, atq; plerunq; reddi benignitate aliorum deteriores.

THVNNVS ET DELPHINVS.

THunnus delphinum persequentem fugiens, cùm incitatissimo ferretur impetu, fluctibus ad insulam appulsus, in illam vnà cũ Delphino eijcitur. Ibi Thunnus conuersus, & Delphinum conspicatus vita defici, non sibi iam magis suam mortem tristem futuram esse aiebat, quia cerneret autorem illius vnà secum interiturum.

Hoc fabula demonstrat, æquiore animo suas miserias ferre homines solere, si illarum autores ijsdem irretiri intelligant.

FIBER.

FIbrum esse quadrupedem animantem, qui ferè in aquis degat, atq; eius pudenda magnum in medicinis vsum habere accepimus. Hic igitur, quoties vrgetur vi hominum, non ignarus, cuius rei gratia petatur,

tatur, præmordet ipſe pudenda ſibi ſua, & contra inſequentes proijcit, atq; ita ſæpenumero conſeruatur.

Significat fabula, ſimiliter & prudentes homines ſalutis ſuæ conſeruandæ gratia, iacturam facultatum libenter facere. Vt & in poëticis fabulis legimus, non fuiſſe cariora Hippomeni poma aurea, quàm vitam ſuam, quibus abiectis, illam retinuerit.

Diuinator.

Diuinator in foro &c. ſupra pag. 95.

ÆGROTVS ET MEDICVS.

AEgrotus quidam à medico ſuo interrogatus, quo pacto præteritá noctem peregiſſet, reſpondit, ſe admodum ſudaſſe. Hoc, inquit medicus, bonum eſt. Poſtridie reuerſus, & ſimiliter percontatus ægrotantem, audiuit horrore fuiſſe ipſum vehementi concuſſum. Hoc, medicus bonum, inquit, & ipſum eſt. Tertiò ſciſcitatus, quomodo haberet, cognouit aquam intercutem effuſam affligere hominem. Sed & hoc bonum eſſe dixit. Digreſſo medico, acceſsit ex amicis vnus ægrotum, &, Quid fit, inquit, & quo in loco ſunt res

tuæ? Optimo, inquit ægrotus: Nam multitudine bonorum extinguor.

Fabula indicat, non alijs homines magis ſuccenſere, quàm ijs, quos in ſuam gratiam mentiri, & à quibus aſſentationibus ſe falli animaduerterint.

Auceps & Caſsita.

Auceps laqueos diſponebat &c. ſ.p.91.

VIATOR.

ITinere quidam longo fatigatus, votum fecit, dimidium eius, quod reperiſſet, ſe Mercurio conſecraturum. Cum autem incidiſſet in ſacculum, refertum palmis & amygdalis, illo ſublato, fructus quidem comedit, nucleos autem palmarum & amygdalorum teſtas in aram impoſuit, quòd ſe ſoluere votum diceret, atque inuenta cum Mercurio partiri, de quibus extima & intima illi offrret.

Caſtigantur hac fabula auari, qui etiam deorum ipſorum reſpectum poſtponunt cupiditatibus ſuis.

Puer & Mater.

Itabat in ludum lite. &c. ſup. pag. 165.

Paſtor

Pastor et Mare.

PAstorem qui gregem ſuum fortè appuliſſet ad mare, cum cerneret illud ſtare placidum & quietum, cupiditas inceſsit nauigandi, & mercaturas faciendi. Venditis igitur ouibus ſuis, mercatur palmas, & in nauim imponit, atq; ita in altum prouehitur. Orta autem tempeſtate, cum periculum eſſet, ne nauis fluctibus deprimeretur, mercibus eiectis in vndas, ægrè vacua nauis fuit conſeruata. Poſt dies pauculos, cum ad mare paſtor triſtis ſederet, prætereunte quodam, & ſecum tranquillitatem maris (nam tempeſtas aberat) admirante: Ego, inquit paſtor, ſcio, quid ſibi velit hæc maris tranquillitas: nam alias palmas profectò quærit, quas deuoret.

Docet fabula, malis acceptis homines cautiores in poſterum reddi ſolere.

Lvscinia et Accipiter.

CAntantem, vt conſueuerat, ab arbore procera luſciniam rapuit eſuriens accipiter. Quæ cum intelligeret, ſibi mortem impendere, ad preces conuerſa, orat accipitrem, ne ſe perdat ſine cauſſa. Non enim ſuam exilitatem auidiſsimum ventrem il-

lius posse explere, itaq; suadere, grandiores alias volucres venetur. Cui accipiter: Insanirem, inquit, si partam prædam amittere & sequi vellem ea, quæ nusquam apparent.

Intelligendum, similiter & homines incogitantes quosdam reperiri, qui spe maiorum præsentem copiam despiciant atq; negligant.

Vulpeculæ.

Elapsa vulpes de laqueo &c. sup. p. 139.

Vulpes & Sentes.

Insilierat forte in spinosas &c. s. p. 150.

VVLPES ET CROCODILVS.

CRocodilus Ægyptiacum est animal, tetrũ aspectu, atq; monstrosum, specie lacertæ, cute rugis & squamis horrida, vastum atq; informe. Inter hunc & vulpem quodam tempore certamen de generis nobilitate extitisse narrant. Cum autem Crocodilus & maiorum suorum multa præclara facinora, & à se fortiter res gestas prædicatione sua extolleret, respondit vulpes:

vulpes: Nihil opus eſſe verbis, nam de pelle apparere omnia.

Hoc fabula innuit: Mendaces ipſa re ſolere coargui & refutari.

VVLPES ET LIGNATOR.

AGitata vulpes à canibus longo ſpacio fugæ confecto, deuenit tandem ad caſulam, ante quam lignator findebat ſtipitem quernum, ad eum ſupplex confugit orans, vt ſibi latebras aliquas demonſtraret, in quibus dum venatores præterirent, occultaretur. Ille miſericordia motus ſuam caſulam iubet ſubire, ibi ſperare, ſe illam in tuto futuram: poſtea recordatus animantem illam eſſe nocentem, & tamen manifeſtè prodere ſupplicem non auſus, inſecutis venatoribus, & num vulpem vidiſſet percontantibus, vidiſſe quidem ille verbis negabat, ſed manu oculisq́; caſulá ſuá indicabat, vbi volebat intelligi, latere vulpeculam. Sed venatores non animaduerſo indicio, & attendentes orationi, celeriter diſcedunt. Vulpes, quæ & audierat & viderat omnia, progreſſa mox de caſula, abire inſalutato lignatore. Quod cùm ille ægrè ferret, tanquam cum ingrato ex-

postularet: Etenim salutem tu mihi debes, inquit, & meo beneficio vitam retines. Tum vulpes: Agerem, inquit, gratias ego tibi, si cum oratione tua manus & oculi consentirent. Quod si dicendum aliquid est, ego quidem linguæ bene precor, sed manus præcisas, & oculos tuos effossos velim.

Fabula contra eos narratur, qui verbis bene pollicentur, re autem malefaciunt.

HOMO ET STATVA.

QVidam domui suæ consecrata diui nescio cuius lignea statua, colere hanc & sertis ornare assiduè solebat, & petere ab hac diuitias & opes. Sed hoc cùm frustra longo tempore fecisset: non modò enim non augebatur res ipsius, sed etiam diminuebatur, iratus tandem appræhensum pedibus simulacrum terræ inflxit. Illiso autem fortè in saxum capite, effractóque, magna vis auri effunditur, quod in eo fuerat inclusum. Hoc colligens ille: Magna est, inquit, peruersitas tua, diue, qui venerantem te neglexeris, & affligentem ditaueris.

Significat fabula, prauos non cultu, sed vi & animaduersione placari.

Canis

Canis & Cocus.

In domo quadam ingens &c. ſ.p. 185.

Ruſticus & Filij illius.

Ruſticus vicinus morti &c.ſup.pag 81.

PISCATOR.

PIſcator artis non admodum peritus, venit cum tibijs ad aquas, & carmen accinere cœpit, ſperans futurum, vt ad vocis ſuauitatem piſces exilirent. Sed falſus ſpe ſua, arripit rete, & proijcit in aquas, magnamq; copiam piſcium extrahit. Quibus in ripa expoſitis, & laſciuientibus: Nunc ſaltatis improbi, inquit, dudum autem me tibiam inflante quieſcebatis.

Fabula dicitur de ijs, quæ temerè, vel non ſuo loco atq; tempore fiunt. Eandem iratus Cyrus apud Herodotum κλειοῖ, narrat Æolenſibus, qui pacem à victore peterent, quem ſocietatem quondam ipſorum flagitantem, repuliſſent.

PISCATORES.

CVm piſcatores diu multũq; defatigati, nihil capere potuiſſent, tædio tandem

affecti, perdita opera, triſtes domum redi-re parant. Tum de improuiſo Thunnus, à reliquis piſcibus agitatus, ſaltu in nauigi-um illorum ſe dedit, quo potiti cum præ-da & læticia abiêre.

Indicat fabula, ſæpenumero fortè for-tuna obuenire ea, quæ nulla arte ac ratio-ne parari potuerint, ſecundum Tragicam clauſulam:

πολλὰ δ' ἀέλπτως κραίνουσι θεοί,
καὶ τὰ δοκηθέντ' οὐκ ἐτελέσθη.
Τῶν δ' ἀδοκήτων πόρον εὗρε θεός.

Præter ſpem multa Dei efficiunt,
Et ſpes multos ſua fruſtratur.
Contrà explicat inſperata Deus.

VOTVM QVOD SOLVI NON poſſet.

AEgrotabat pauper, & in morbi grauiſ-ſimo periculo cum à medicis deſpe-raſſet, ad opem deorum confugit, quibus ſe, ſi conualuiſſet, centum tauros immo-laturum eſſe promiſit. Hæc vxor illius, vt propè aſtabat, cum audijſſet: Vnde mi vir tantum, inquit, numerum taurorum para-re poſsis, ſi voti conuictus ſis? At ille: Quid

Quid tu censen', inquit, stulta, cœlo descensurum, qui illud sacrificium fieri postulet, si ego sanitatem recuperauero?

Narratur fabula & ad hunc modum.

Cum multi vna in naui veherentur, orta tempestate horribili, vnus cæteris formidolosior, quasi desperato omni auxilio humano, deos inuocare, & illis vota pro salute sua nuncupare, interq; alia promittere, se consecraturum de cera lampadem, tantam & tam ponderosam, vt malo nauis æquaretur. Eo fortè, qui iuxta illum assidebat, audito, cum sciret mediocres esse, vel etiam infra mediocritatem facultates hominis, admonere voti magnitudinis, quod non videretur exoluere ille posse. Cui hic responderit: Si nauis modò seruata, & in portum delata esset, se facilè dijs satisfacturum, quos confideret postea, vno numulo emta cera contentos futuros.

Significatur, esse multos in pollicendo faciles, qui etiam promittere ea soleant, quæ non velint: neq; cogitent facere.

Piscatores.

DVm extrahunt nassam de aquis piscatores, grauissimum pondus esse illius

 sentiunt.

ſentiunt. Quare læticia exultare, & felici euentu immodicè gaudere, quod opera præclarè poſita videretur. Sed naſſa ſubducta in terram, conſpicantur ingens ſaxum, quo illa depreſſa fuerat. Ergo mutatis animis, contriſtari atq; mœrere, neque minus doloris capere ob falſitatem opinionis & ludibrium fortunæ, quàm incōmodum ſuum. Tum vnus inter eos ſenior obiurgare eos, & dicere: Non nimis indignè ferendum caſum illum, quod conſanguineam habere gaudium videretur triſticiam. Itaq; vix aliter potuiſſe fieri, quàm vt illius tanto complexu etiam hanc aſſumerent.

Vtrunque fabula monet, non prius lætandum, quàm explorata fortuna, neq; tamen triſtiores exitus non etiam moderatè ferendos eſſe.

De Sene & Morte.

Cæciderat ligna in ſilua &c. ſup. p. 106.

De anu laborante ex oculis.

Laborans anus ex oculis &c. ſ. p. 156.

INIMICI.

In ea-

IN eadem naui vehebantur duo, qui inter se capitalia odia exercebant. Atque vnus quidem in prora, alter verò in puppi residebat. Orta tempestate ingenti, cùm omnes de vita desperassent, interrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem, quam partem nauis primùm submersam iri putaret? Cui gubernator, proram inquit. Tum ille: Iam non magis, inquit, mors mihi grauis futura est, siquidem aspecturus sum interitum inimici mei.

Significat fabula, multos non moueri suis malis, si ijsdem inimicos, & eos, quos odere, prius circumueniri videant. Itaque Achilles Homericus non recusat mori, si prius Hectorem interfecerit, cum sciret, post huius cædem sibi quoq; instare ac propè esse exitium.

Feles & Mures.

In domo quadam magna &c. s. p. 132

Mulus.

Opimus pastu hord. &c. sup. pag. 68.

Leo procvs.

LEonem mirifico amore erga virginem fortè conspectam exarsisse ferunt. Venit igi-

nit igitur ad patrem, & nuptias petit filiæ ipſius. Huic ille: Egóne tuis, inquit, iſtis dentibus & vnguibus committam teneram virgunculam filiam meam? Atq; abſq; his foret, equidem felicem me arbitrarer, ſi talis gener contingere poſſet. Nunc verò non auſim facere, tibi illam vt tradam. At leo amoris impatiens, poſtulante homine, & vngues præcidi, & dentes effringi patitur. Ibi inermem homo facilè vincit atque interimit.

Fabula oſtendit, calliditatem & malitiam, fortibus inprimis, voluptatibus ineſcatis, decus atq; robur detrahere, & poſtea liberè illis inſultare. Hac fabula apud exercitum Eumenem vſum aliquando fuiſſe ſcripſit Diodorus lib. 19. hoc ſenſu, quod ſimiliter & Antigonus omnia polliceri non dubitaret, dum potiretur copijs, tum verò in duces ipſorum animaduerſurum hunc eſſe pro arbitrio ſuo.

GALLI GALLINACEI.

DVo galli inter ſe pro gallina dimicabant, ita vt ambo ſauciarentur: ſed finito prælio, qui victus fuerat, is pudore & dolore affectus, latebras quęſiuit: victor autem

autem in altum parieté euolauit, & quanta maxima voce potuit, canere & alis ſtrepere cœpit. Hunc de improuiſo aquila præteruolans rapit: ita alter, qui ſe dudum abdiderat, poſtea ſine æmulo gallinarum conſuetudine frui potuit.

Docet fabula, Deum ipſum ſuperbis aduerſari, mites autem apud illum in gratia eſſe.

Hinnuleus.

Hinnuleum cum ceruo &c. ſup. p. 110.

Apicula et Iupiter.

QVod ſuos labores ab hominibus compilari apicula ægrè ferret, elegantiſsimè conſtructos fauos Ioui obtulit, & ab illo petijt, letiferam vt aculeo ſuo vim adderet. Iupiter immanitate beſtiolæ offenſus: Imò potius vitalem vim tribuam, inquit, vt vnà cum illo tibi vita relinquenda ſit.

Fabula ad ſententiam Herodoti eſt cōpoſita: Immodicas pœnas dijs non probari.

Lignator & Mercurius.

Cædebat quidam ligna &c. ſup. p. 143.

De

De Vulpe & Vua.

Vulpes ſublimem &c. ſup. pag. 42.

De Puero & Scorpio.

Locuſtas puer &c. ſup. pag. 56.

MALVS ET PIRVS.

CErtamine de formæ præſtantia inter pirum & malum orto, cùm illæ multis inter ſe verbis diſceptarent, rubus de propinqua ſepe, Finem tandem, exclamat, obſecro rixarum faciamus.

Fabula oſtendit, in diſſenſionibus potentum, etiam infimos principatum quærere.

TALPA.

TAlpa animal eſt oculis captum: Hoc ad matrem aliquando ſuam, morum video, dixit. Atq; iterum, Thuris odor compleuit nares meas. Tertiò, Sonitus æris attigit aures, inquit, meas. Cui mater reſpondit, ſe intelligere de dictis, non modò ipſum lumine, ſed odoratu etiam atque auditu priuatum eſſe.

Fabula notat glorioſos & Thraſones iſtos, qui dum ſe mirificè oſtendunt & iactitant,

ctitant, in minimis sæpe depræhensi redarguuntur.

Vespæ et Perdices.

Laborantes siti vespæ & perdices, accedunt ad agricolam, & ab illo potum petunt. Neq; se gratas solummodo futuras ob beneficium acceptum, sed promerituras etiam esse aiunt: Opera quidem sua perdices collocata in vinea fodienda, at vespas aculeis suis circum hanc volitantes abigendo fures. His respondisse agricolam ferunt: Habere se boues duos, qui nihil promittentes faciant omnia, atque illis aquam potius se præbiturum esse.

Narratur fabula in homines nocentes, qui sermone adiumenta & vtilitatem ostendunt, re autem tantummodo obesse consueuêre.

Pvlex captvs.

QVid tu, inquit, es animantis? qui pulicem noctu ceperat. Qui se respondit eum esse, qui, vt à natura ad exugendum de humano corpore sanguinem procreatus sit, ita noceat nemini, præterquam quod cutem leuiter pungat. Quare non debere

debere illum insontis cæde polluere manus. Interrogatus autem, Boni ne aliquid facere posset? Neq; boni neque mali ferè quicquam, respondit. Moriere igitur, inquit ille, quippe qui molestus mihi fueris, cum nec lædere magnopere, nec prodesse omninò possis.

Docet fabula, praui, quanquam non magna damna possint dare, tamen melius esse, vt remoueantur.

PVLEX.

CVm insilijsset pulex in pedem cuiusdam, ille ad opprimendum hunc Herculem inuocauit. Sed cum pulex se illinc mox saltu subduxisset, cum gemitu ille, Hercules, inquit, quid ego abs te opis in magnis periculis expectem, qui contra pulicem adesse mihi noluisti?

Fabula monet, non esse in rebus paruis & futilibus potentum auxilia imploranda, sed illud perfugium singularibus casibus reseruandum.

De Leone picto et Adolescente. Fatalia vitari non posse.

Fuerat

FVerat prædictum cuidam, amiſſurum ipſum à leone læſum vnicum filium ſuum, hoc in metu pater non vrbe modò, ſed ne ædibus quidem temerè egredi filium patiebatur. Quod autem iuuenis eſſet alacri animo & cupidus venationum, in ædibus paſsim ad oblectandum eum omnis generis ferarum imagines pictas exprimi pater curauerat. Quodam die conſpecta imagine leonis, indignabundus iuuenis, verbis maledicis adoritur beſtiam, cuius metu ſibi tanquam virgunculæ incluſæ, intra parietes domeſticos tabeſcendum eſſet, atq; ira prouectus longius magno impetu alapam illi impingit. Fortè fuerat ea parte ferreus clauiculus fixus in pariete, cui illiſa manus ita fuit ſauciata, vt ex illo vulnere iuuenis paulò poſt moreretur.

Fabula ſic etiam refertur.

Vidiſſe quendam per quietem mordicus ſeſe arripi à leone, & perire. Ac quodam tempore conſpecta effigie lapidea leonis cum deducto rictu oris, per iocum immiſiſſe manum, & dixiſſe comitibus, quod ſomniaſſet, id ſibi iam accidiſſe. Sed intra illud cauum anguis incubans venenato ictu manum ipſius ita infecit, vt ho-

mo paulò poſt interiret, & fidem ſomnij confirmaret.

Narratur ſimilis hiſtoria de Crœſi ſomnio ab Herodoto, libro primo, & copioſè & elegantia admirabili.

Subijciunt autem huiuſmodi narrationes non hoc modò, quod dicitur ab Hectore Ιλίαδ. ζ.

Μοῖραν δ' ὔ τινα φημὶ πεφυγμένον ἔμμεναι ἀνδρῶν,
Οὐκ κακὸν ὐδὲ μὲν ἐσθλὸν, ἐπὴν τὰ πρῶτα γένηται.

Sed hoc etiam, non nimium talibus prædictionibus terreri quidem nos oportere, non tamen audacia quoq; & contemtu in cautiores committere, vt noſtra culpa caſus fatales cumulati eſſe videantur.

De Aqvila et Homine.

COmprehenſæ quidam aquilæ grandiores pennas omnes euulſit, & ita domi ſuæ aliquantiſper obſeruatam habuit. Hác mercatus quidam pennis denuò aquilinis ipſam inſtruxit, perfecitq; vt euolaret quà vellet. Quæ ſtatim correptum leporem huic attulit, quaſi memor beneficij in ſe collati. Sed paulò poſt ne à domeſticis quidem illa animalibus vim ſuam abſtinuit, & iam hominibus quoq; formidanda

erat:

erat: iterum igitur pennas, qui dudum his eam instruxerat, abstulit.

Fabula monet, potentum improbitatem adiuuandam non esse, & vt illa simulet bonitatem, mox tamen sese proferre, neq; mutare in malefaciendo naturam suá.

De Pvero et Fortvna.

PRope fauces putei profundi dormiebat puer. Accedit fortuna & excitat, atq; domum ire iubet. Nam tu, inquit, si incautius in somno te vertens, in puteum fortè labereris, nemo stultitiam tuam accusaret, sed omnes te indigna sorte peremptum esse quererentur.

Docemur, plerunq; homines sua stulticia, id est, σφῇσιν ἀτασθαλίῃσι, secundum Homerum, mala incurrere, & postea asscribere euentum fato aut fortunæ.

Simivs rex.

FErunt quodam in conuentu bestiarum, ita saltauisse bellè simium, vt omnium propè vnanimi sententia rex crearetur. Hunc vulpes elatum animo, ob prosperitatem videns, & simul etiam bestiarum stulticiæ succensens: Dicit simio, postquá

regnum ipsi obtigerit, non debere se celare, quæ magnopere vt resciſceret, ipsius intereſſe arbitraretur. Quid id eſſet ſimio interroganti: Theſaurum,reſpondit,ſibi à patre ſuo indicatum eſſe, defoſſum in ſolitudine, qui iure regni ad ipſum iam pertinere videatur. Eamus igitur, inquit ſimius, vt tollamus. Caue tu, inquit vulpes, nam ego ſæpe audiui periculo effoſsionem theſauri non carere. Nihil, inquit ſimius, periculi eſt: an tu obſecro times? Eamus igitur, inquit vulpes, ſi videtur. Cumq; per ſiluas diu circumduxiſſet ſimium, tandem inducit in laqueos ſub fruticibus abſconditos ad capturam beſtiarum, atq; ibi dicit theſaurum defoſſum, & illinc eruendum eſſe. Simius feſtinans neque prouidens, ſtatim capitur, ac implicitus orat vulpem, ſibi vt ſuccurrat. Ea verò ſe regem attingere non debere ait: Et diſcedens, Non, inquit, ſaltationis euentus regnum merebatur.

Fabula indicat, honores indignos magis lædere ac deprimere, quàm augere & ornare. Et ſtultarum inceptionum exitum eſſe infelicem docet.

Faber et Canis.

Quidam

QVidam faber domi suæ & canem habebat. Hic donec opere faciundo exercebatur herus, accubans ipse dormiebat. Postquam assederat, vt cibum caperet, surgens & extendens artus ita ad mensam accedebat. Quæ cum ad hunc modum sæpe fierent, tandem faber, Ego, inquit, hoc vix potero ferre diutius, vt dum ego defatigor, tu quiescas, & vnà mecum pascaris.

Fabula monet, non durare coiunctionem laboriosorum & desidum. Et esse ocium cum negocio exæquandum.

De Leone et Tavris.

LEo inuitatos ad cœnam, in quam ouē parasset, tauros validos duos, in specum suum blanda oratione perduxit, vbi incautos adoriri, & de illis epulari opiparè posset. Qua spe & grandia vasa, & ollas ingentes, & prolixa verua præparauerat. Quibus cōnspectis tauri, referre pedem, & circumspectantes in omnes partes discedere cœperunt. At leo quin accedant & asside ant quærit, & iam dapes affuturas ait. Tum illos dixisse ferunt, Non apparere de vasis, ouium carnibus instructum

iri conuiuium, ſed niſi caueant, bubulis: & falſum ſpe ſua leonē reliquiſſe impaſtum.

Fabula docet, fallacias prudentibus minus nocere.

De Leæna et Vvlpe.

INter alia maledicta quibus leænam quodam tempore à vulpe appetitam accepimus, ferunt, hanc illi exprobraſſe hoc etiam, quod ſingulos tantum fœtus pareret. Huic dicitur reſpondiſſe, ſe quidem vnum tantum quoque partu catulum edere, ſed leonem illum.

De partu leænæ Gellij caput eſt 7. lib. 13.

Fabula autem, Præclara rara: Et, Non copia, ſed bonitate res æſtimandas eſſe, docet.

De Mvscæ svffocatione.

DElapſa muſca in ollam cum carnibus ad ignem appoſitam, cum in iure feruente ſuffocaretur: Maior ſanè, cum cibo potuq; ſatiata, benè etiam lauta ſim.

Fabula oſtendit, voluptates multis eſſe exitiales. Sed & hoc monet, æquo eſſe animo ferendam amiſsionem commodorum vitæ, compenſandamque hanc cum

fructu

fructu perceptorum, ſecundum Horatianos verſus:

Luſiſti, ſatis ediſti, ſatis atq; bibiſti,
Tempus abire tibi eſt.

De Lvxvrioso et Hirvndine.

ADoleſcens quidam diffluens luxuria, omni patrimonio perdito: cum nihil reliquum illi eſſet, excepta vna veſte, viſa hirundine etiam illam vendidit, & precium in vino & luſtris prodegit. Sed quod fuiſſet aduentus hirundinis, vt interdum fit, præmaturus, rurſum hiemante anno hirundo quidem frigore perijt, prodigus autem vehementiſsimè algens, viſa hirundine gelu exanimata, O' te ſceleſtam, inquit, auem, quæ & me & te pariter perdidiſti.

Fabula docet, quicquid alieno tempore fit, id ferè detrimenta & malũ complecti.

De Gallina et Vvlpe.

AD cohortem auium cùm vulpecula acceſsiſſet, vidiſſetq; in nido ſedentem gallinam debilem & grauedinoſam: Ecquid valeret, illam interrogauit. Huic re-

 ſpondit

ſpondit gallina, ſic ſatis ſe valere: ſed ſi ipſa diſceſſerit, multò ſe habituram melius.

Fabula admonet, inimicorum officia, neq; grata & ſuſpecta ſolere eſſe.

PERDIX ET AVCEPS.

CApta perdix dicitur oraſſe aucupem, vt ſe dimitteret, & promiſiſſe paulò pòſt alias multas ſui generis auiculas ſeſe illi adducturam eſſe. Sed aucupem ferunt intorto collo ſtatim perdicem necaſſe, quod proditricem generis ſui indignam vita eſſe perhiberet.

Fabula indicat, apud bonos fraudes & ſcelera improborum nocere vſurpātibus.

DE SEMICANO ET VXORIBUS illius.

HAbuiſſe quendam duas vxores narrant in ætate virili tendente ad ſenectutem, qua canis conſpergi caput incipit, idq́; hominum genus nomen habet μιξοπολίον apud Græcos. Mulierem autem fuiſſe natu grandiuſculam vnam, alteram iuuenculam. Huic autem illam nigellos, hác albicantes crines euellere conſueuiſſe ferunt, donec relinqueretur caluaria nudata capitis.

Fabula

Fabula detrimenta inæqualium coniunctionum demonſtrat. Notus autem eſt iocus Auguſti, qui cum depræhendiſſet, curare ſibi filiam ab ornatricibus euelli canos, interrogaſſe illam dicitur, poſt aliquot annos, canáne an calua eſſe mallet? Cum autem reſpondiſſet illa, ſe malle canam eſſe quàm caluam: Quare ergo, inquit, iſtæ te calua fieri ſtudent?

De Arbore et Cvneis.

QVidam cum arborem in ſilua quadam cecidiſſet, vt findere melius poſſet, de ipſa arbore cuneos parabat. Tunc ingemiſcentem arborem dixiſſe accepimus, Se non de ſecuris vi tantopere conqueri, quantopere de iniuria earum partium, quę de corpore ſuo demtæ eſſent.

Fabula oſtendit, quod noſtri nobis ſæpe ſint infeſtiores, quàm alieni.

Ivpiter et Vipera.

AB omnibus animalibus quodam tempore dona Ioui oblata fuerunt. Interq́; talia illi arrepſit & vipera roſam ore afferens. Cui Iupiter, A' vipera, inquit, nō conſtitui me donum hodie accepturum eſſe.

 Malicio-

Malicioſorum dona ſuſpecta nobis eſſe debere ſignificatur.

RANÆ ET LVPI PISCES.

EGreſſæ in ripam fluminis cuiuſdam ranæ, ibi in gramine paſcebantur: cum prætereunt, neſcio qui homines, at illæ territæ deſiliunt in flumen, vbi à lupis correptæ deuorantur. Tum vna, O' ſtultas nos, inquit, quæ fugientes eos, quibus cibus panis eſt, incidimus in eos, qui nos auidiſsimè expetunt.

Fabula docet, multos temerè fugiendo mala, in maiora mala incidere.

PISCATOR STOLIDVS.

QVidam hamo & arundine demiſſa in fluuium, cùm totius diei labore non plures tribus piſciculis cepiſſet, rediens domum, apud obuiam ſibi factos gloriatur, ſe quantum piſcium in fluuio fuiſſet, extraxiſſe hamo ſuo. Cui vnus, Heus tu, inquit, quid ſi non vniuerſi ad hamum adhæſerunt? At ille, Imò, inquit, totum diem ego ibi ad flumen aſtiti, quod ſi plures in eo piſces eſſent, non vitaſſent profectò hamum meum.

Notatur

Notatur ſtulticia quorundam, qui effe-ctiones artium de viribus ingenij ſui æſti-mant.

Asinvs commvnis.

DEceſsit quidam relicto filijs tribus aſi-no vno. Placuit, vt communiter illo ſinguli diebus ſingulis ad onera portanda vterentur, & præberent cibum. Vnoquo-que autem cibum ad vſum fratris ſui diffe-rente, & operas exigente, aſinus fame la-boreq; confectus moritur.

Fabula narratur auaris & rapacibus, ſubijcitq; ſententiam Solomonis: Qui ni-mis vehementer nares emungit, is ſangui-nem elicit.

De Fele et Mvribvs.

COnſilio habito decreuerunt mures tintinabulum feli eſſe annectendum, ita enim poſſe admonitos ſonitu effugere vim illius. Hoc quamuis magnopere pla-cuiſſet vniuerſis, irritum tamen conſi-lium fuit, quoniam qui annectere auderet, non reperiebatur.

Fabula docet, in ſuadendo audaces eſſe plerosq;, ſed ſuo qui periculo rem exæ-

quantur,

quantur, non multos reperiri, ſed tum inprimis cauere vnumquemq; ſibi. Deque his dicitur Teutonicum prouerbium, de timidis & cautis, Non ſolere aut non velle aliquem annectere tintinabulum feli.

De Cornice edvcante Accipitrem.

CORnix cum animaduerteret nidum accipitris ſemper eſſe refertum bonis cibis, qui pararentur rapacitate illius, hoc conſilium inijt: furatur oua accipitris, & illa clam fouendo educit ſobolem, quæ confirmata, matrem poſtea deuorat.

Fabula oſtendit, multos perniciem & peſtem ſuam ipſos alere. Vnde eſt & illud Theocriteum factum:

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς θρέψαι κύνας ὥστε φάγοντι.

De Simia et Nvcibvs.

SImia cum audijſſet ſuauitatem nucum magnopere laudari à ſciuro, non pepercit vlli labori aut ſtudio, vt poſſet potiri nucibus. Reperta autem iuglande auidè dentes illi impegit. Ibi primùm amaro putamine, deinde duro cortice offenſa illam abiecit, rata ſeſe eſſe à laudatore nucum

eum ſciuro deluſam, & ita nucleorum iucundo cibo caruit.

Fabula monet, non eſſe offenſione laborum ſpem euentus abijciendam. Nam gaudium antecedit triſticia.

APOLOGI EX CHILIADIBVS ADAGIORVM Eraſmi deſumpti, ad communem puerorum fructum.

De Vvlpecvla et Pardale.

CVm aliquando pardalis vulpem præ ſe contemneret, quod ipſa pellem haberet omnigenis colorum maculis variegatam, reſpondit vulpes, ſibi id decoris in animo eſſe, quod illi eſſet in cute.

Neq; verò paulò ſatius eſt, ingenio pręditum eſſe vafro, quàm cute verſicolore.

De Vvlpe et Fele.

CVm aliquando vulpes in colloquio, quod illi erat cum fele, iactaret ſibi varias eſſe technas, adeò vt vel peram haberet dolis refertam: Felis autem reſponderet,

deret, ſibi vnicam duntaxat artem eſſe, cui fideret, ſi quid eſſet diſcriminis. Inter confabulandum repentè canum accurrentium tumultus auditur, ibi felis in arborem altiſsimam ſubſilijt, cum vulpes interim à canum agmine cincta capitur.

Innuit fabula, præſtabilius eſſe nonnunquam vnicum conſilium, modò id ſit verum & efficax, quàm plures doli conſiliaq; friuola.

De Rege et Simiis.

REx quidam Ægyptius aliquot ſimias inſtituit, vt ſaltandi rationem perdiſcerent. Vt enim nullum animal ad figuram hominis propius accedit: ita nec aliud actus humanos, aut melius, aut libentius imitatur. Artem itaq; ſaltandi protinus edoctæ, ſaltare cœperunt, inſignibus indutæ purpureis, ac perſonatæ. Multoq; iam tempore maiorem in modum placebat ſpectaculum, donec è ſpectatoribus faceтus quiſpiam nuces, quas clanculum in ſinu geſtabat, in medium abiecit. Ibi ſimiæ ſimul atq; nuces vidiſſent, oblitæ choreæ, id eſſe cœperunt, quod antè fuerant, ac repentè è ſaltatricibus in ſimias redierunt:

Contri-

Contritisq; perſonis, dilaceratis veſtibus, pro nucibus inter ſe depugnabant, non ſine maximo ſpectatorum riſu.

Admonet hæc fabula, fortunæ ornamenta non mutare hominis ingenium.

De Asino et Viatoribvs.

DVo quidam cum in deſertis aſinum quempiam forte fortuna nacti eſſent, contendere inter ſe cœperunt, vter eorum, vti ſuum domum abduceret. Nam vtriq; pariter à fortuna videbatur obiectus. Hac interim de re illis inuicem altercantibus, aſinus ſeſe obduxit, ac neuter eo potitus eſt.

Quidam à præſentibus commodis, quibus ob inſcitiam vti neſciunt, excidunt.

De Piscatoribvs.

PIscatores aliquot iacto reti, teſtudines eduxerunt, eas cum eſſent inter ſeſe partiti, neque ſufficerent omnibus comedendis, Mercurium fortè accedentem inuitarunt ad conuiuium. At is intelligens, ſe neutiquam humanitatis gratia vocari, ſed vt eos faſtidito cibo ſubleuaret, recuſauit,

ſauit, iuſsitque vt ipſi ſuas teſtudines ede-
rent, quas cepiſſent.

Nonnulli poſteaquam inconſultè quip-
piam adorti ſunt, aliorum implorant auxi-
lium, quos ſuo negocio admiſceant.

De Asino.

Apud Cumanos aſinus quiſpiam pertæ-
ſus ſeruitutem, abrupto loro in ſiluam
aufugerat. Illic fortè repertum leonis exu-
uium, corpori applicabat ſuo, atq; ita pro
leone ſeſe gerebat, homines pariter ac fe-
ras voce caudaq́; territans. Nam Cumani
leonem ignorant. Ad hunc igitur modum
regnabat aliquandiu perſonatus hic aſi-
nus, pro leone immani habitus ac formi-
datus, ac donec hoſpes quiſpiam Cumas
profectus, qui ſæpenumerò viderat & le-
onem & aſinum, atq; ob id non erat diffi-
cilè dignoſcere aurium prominentium iu-
dicio, neq; non alijs quibuſdam coniectu-
ris aſinum eſſe depræhendit, ac probè fu-
ſtigatum reduxit, dominoq́; agnoſcenti
reddidit. Interim autem riſum non medi-
ocrem concitabat omnibus Cumanis aſi-
nus iam agnitus, quos dudum creditus
leo, metu proepmodum exanimauerat.

Haud

Haud facilê tegimus vicia, quæ à puero nobiſcum adoleuerunt.

De Scarabeo et Aqvila.

SCarabeus aliquando ſpretus ab aquila, cœpit de vindicta quoquo pacto ſumenda cogitare. Perueſtigauit vbinam aquila nidum collocaſſet: arrepſit ſcarabeus, & oua ſimili dolo deiecit. Aquila cum ſæpius domicilium commutaſſet, neque quicquam proficeret: Iouem patronum adijt, exponit calamitatem ſuam. Is iubet, vt ſuo in gremio ponat oua, vel iſtic in tuto futura. Et huc per veſtis lacinias, ſinusque porrepſit pertinax ſcarabeus, haudquaquam ſentiente Ioue. Deinde vbi videt oua commoueri Iupiter, neque ſatis animaduertit vnde, territus rei nouitate, excuſſo gremio, in terram deiecit.

Monet hæc fabula, neminem, quantumuis puſillum, contemnendum eſſe.

De Simiis et Pardale.

IN Mauruſia ſimiarum ingens copia: Pardalis autem animal eſt natura ſimijs infeſtiſsimum, quas tamen viribus aſſequi non poteſt, nimirum illis in ſummas arbo-

res ſubuolantibus. His itaq; dolis in eas vtitur: Sternit ſe ſupinam ſub ramis, ac porrectis cruribus emori fingit ſe. Gaudent eo ſpectaculo ſimiæ conſidentes in arbore: deinde vbi iam mortuam arbitrátur, vnam aliquam emittunt exploraturam, num verè mortuus ſit hoſtis. Illa cautim ac pedetentim accedens, vbi nullum vitæ videt argumentum, Pardale nimirum modis omnibus cadauer imitante, demum audet etiam conſcendere. Quod ſimul ac reliquæ ſimiæ conſpexerint, iam depoſito omni metu deſcendunt, & pardalim omnia ferentem circumſultant. Poſtremò conculcant inſultantes, ludibrij cauſa, donec pardalis ſentiens illas iam ſaltando defatigatas, de repente reuiuiſcens, aliam dentibus, aliam vnguibus corripit, dilaniat atq; deuorat.

Hoſtem ſimulantem vires deficere, ſummopere fugiendum eſſe.

De Satyro & Ruſtico, Aniani Fabula, Eraſmo quoq; interprete.

Satyrus quidam cum &c. ſup. p. 129.

EX LIVIO.

Diſsi-

Dissidivm Ventris et membrorum corporis humani, ex lib 2.

AGrippa intromissus in castra, prisco illo dicendi & horrido modo, nihil aliud quàm hoc narrasse fertur. Tempore, quo in homine non vt nunc omnia in vnum consentiebant, sed singulis membris suum cuiq; consilium, suus sermo fuerat, indignatas reliquas partes, sua cura, suo labore ac ministerio ventri omnia quæri, ventrem in medio quietum nihil aliud quàm datis voluptatibus frui: conspirasse inde, ne manus ad os cibum ferrent, nec os acciperet datum, nec dentes conficerent. Hac ira dum ventrem fame domare vellent, ipsa vnà membra totumq; corpus ad extremam tabem venisse. Inde apparuisse, ventris quoq; haud segne ministerium esse, nec magis ali, quàm alere eum, reddentem in omnes corporis partes: hunc, quo viuimus vigemusque, diuisum pariter in venas, maturum confecto cibo sanguinem. Comparando hinc, quàm intestina corporis seditio similis esset iræ plebis in patres, flexisse mentes hominum.

CARNES SVILLÆ.

NArrat apud eundem autorem libro 35. bellam fabulam Quintius. Eſt,inquit, res ſimilima cœna Chalcidenſis hoſpitis mei,hominis & boni,& ſciti conuiuatoris: apud quem ſolſtitiali tempore comiter accepti,cum miraremur vnde illi eo tempore anni tam varia & tam multa venatio! Homo, non (quàm iſti ſunt) glorioſus,renidens,Condimentis,ait, varietatem illam & ſpeciem ferinæ carnis ex manſueto ſue factam. Hoc dici aptè in copias regis, quæ paulò antè iactatæ ſunt, poſſe, & in varia genera armorum & multa nomina gentium inauditarum. Dacas enim, & Medos, & Caduſios, & Elimæos viros omnes eſſe, haud paulò mancipiorum melius propter ſeruilia ingenia, quàm militum genus.

Hoc in copias regis Antiochi aptè tum Quintius intorſit: ſed dici in omnem vanam gloriationem & iactantiam poteſt, ita, vt Teutones ſimili fermè intellectu aiunt: Non eſſe corium ſeu cutẽ diuerſam.

EX GELLIO.

De

De Cafsita, ex libro illius 2. cap. 29.

Æſopus ille è Phrygia &c. ſup. p. 223.

Leo hospes hominis, et Homo medicus Leonis, ex libro 5. cap. 14.

APpion, qui Polyhiſtor appellatus eſt, literis homo multis præditus, rerumq́; Græcarum plurima atq; varia ſcientia fuit. Eius libri non incelebres feruntur, quibus omnibus fermè, quæ mirifico in Ægypto viſuntur audiunturq́; hiſtoria comprehendit. Sed in ijs, quæ audiſſe, vel legiſſe ſeſe dicit, fortaſſe à vicio ſtudioq́; oſtentationis fit loquacior: eſt enim ſanè, quàm in prædicandis doctrinis ſuis venditator. Hoc autem quod in libro Ægyptiacorum quinto ſcripſit, neq; audiſſe, neq; legiſſe, ſed ipſum ſeſe vrbe Roma vidiſſe oculis ſuis confirmat. In circo maximo, inquit, venationis ampliſsimæ pugna populo dabatur: eius rei Romæ cùm fortè eſſem, ſpectator, inquit, fui. Multæ ibi ſæuientes feræ magnitudine beſtiarum excellentes, omniumq́; inuſitata aut forma erat, aut fero-

cia. Sed præter alia omnia, leonum, inquit, immanitas admirationi fuit, præterq; omnes cæteros, vnius. Is vnus leo corporis impetu, vastitudine, terrificoq; fremitu & sonoro, toris comisq; ceruicum fluctuantibus, animos oculosque omnium in sese conuerterat. Introductus erat inter complures cæteros ad pugnam bestiarum Dacus, seruus viri consularis: ei seruo Androdus nomen fuit. Hunc ille leo vbi vidit procul, repentè, inquit, quasi admirans stetit, ac deinde sensim atq; placidè, tanquã noscitabundus ad hominem accedit. Tum caudam more atque ritu adulantium canum clementer & blandè mouet, hominisq; sese corpori adiungit, cruraq; eius & manus propè iam exanimati metu, lingua leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimq; oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta, lætos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorsus tam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit: accersitumq; à Cæsare Androdum, quæsitamq; caussam, cur ille atrocissimus leonum vni parsisset? Androdus rem mirificam

cam narrat, atq; admirandam. Cum prouinciam, inquit, Africam proconſulari imperio meus dominus obtineret, ego ibi iniquis eius & quotidianis verberibus ad fugam ſum coactus: & vt mihi à domino terræ illius præſide tutiores latebræ forent, in camporum & arenarum ſolitudines conceſsi: ac ſi defuiſſet cibus, conſilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum ſole, inquit, medio, rapido, & flagranti ſpecum quandam nactus remotam latebroſamq́;, in eam me penetro & recondo, neq; multò poſt ad eandem ſpecum venit hic leo debili vno & cruento pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumq́; vulneris commiſerantia. Atq; illic primo quidem conſpectu aduenientis leonis, territum ſibi & pauefactum animum, dixit. Sed poſtquam introgreſſus, inquit, leo, vti re ipſa apparuit, in habitaculum illud ſuum, videt me procul deliteſcentem, mitis & manſuetus acceſsit, & ſublatum pedem oſtendere mihi, & porrigere, quaſi opis petendæ gratia, viſus eſt. Ibi, inquit, ego ſtirpem ingentem veſtigio pedis eius hærentem reuulſi, conceptamq́; ſaniem vulnere intimo expreſsi, accuratiusq́; ſine magna iam formidine ſiccaui penitus, at-

que deterſi cruorem. Ille tunc mea opera & medela leuatus, pede in manibus meis poſito recubuit, & requieuit. Atq; ex ea die triennium totum ego & leo in eadem ſpecu, eodemq́; victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad ſpecum mihi ſuggerebat, quæ ego, ignis copiam non habens, ſole meridiano torrens edebam. Sed vbi me, inquit, vitæ illius ferinæ iam pertæſum eſt, leone in venatum profecto reliqui ſpecum, & viam fermè tridui permenſus à militibus viſus appræhenſusq; ſum, & ad dominum ex Africa Romam deductus. Is me ſtatim rei capitalis damnandum, dandumq; ad beſtias curauit. Intelligo autem, inquit, hunc quoq; leonem, me tunc ſeparato, captum, gratiam nunc mihi beneficij & medicinæ referre. Hæc Appion dixiſſe Androdum tradit, eaq́; omnia ſcripta, circumlataq; tabella populo declarat. Atq; ideo cunctis petentibus dimiſſum Androdum & pœna ſolutum, leonemq́; ei ſuffragijs populi donatum. Poſtea, inquit, videbamus Androdum & leonem loro tenui reuinctum, vrbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus ſpargi leonem, omneſque ferè vbiq; obuios dicere: Hic eſt leo

leo hoſpes hominis, hic eſt homo medicus leonis.

De Arione et Delphino hiſtoria, translata ex primo libro Herodoti, expoſita ab eodem autore, libro 16. cap. 19.

CElebri admodum & cohibili oratione, vocumq; filo tereti & candido, fabulam ſcripſit Herodotus, ſuper fidicine illo Arione. Vetus, inquit, & nobilis Arion, cantator fidibus fuit: Is loco & oppido Methymnæus, terra atq; inſula omni Leſbius fuit. Eum Arionem rex Corinthi Periander amicum amatumq́; habuit artis gratia. Is inde à rege proficiſcitur, terras inclitas Siciliam atq; Italiam viſere. Vbi eò venit, aureſq́; omnium mentesque in vtriſq; terræ partibus demulſit, in quæſtibus iſtic, & voluptatibus amoribusq́; hominum fuit. Is tum poſtea grandi pecunia & re bona multa copioſus, Corinthum inſtituit redire. Nauem igitur & nautas, & notiores amicioresq́; ſibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto,

nauiq́; in altum prouecta, prædæ pecuniæq́; cupidos cepisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam, cæteraq́; sua, vt haberent, dedisse, vitam modò sibi vt parcerent, orauisse. Nautas precum eius harum commisertum esse illatenus, vt ei necem afferre per vim suis manibus temperarent: sed imperauisse, vt iam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perdita: id vnum postea orauit, vt prius, quàm mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta, & fides capere, & canere carmen casus illius sui consolabile. Feros & immanes nautas prolubium tamen audiendi subit. Quod orauerat, impetrat, atq; ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansq́; in summæ puppis foro, carmen, quod Orthium dicitur, voce sublatissima cantauit: ad postrema cantus cum fidibus, ornatuq́; omni, sicut stabat canebatq́;; eiecit sese procul in profundum. Nautæ haudquaquam dubitantes, quin perisset, cursum, quem facere cœperant, tenuerunt. Sed nouum, & mirum, & pium facinus contigit. Delphinum repentè inter vndas adnauisse, & dorso super fluctus

edito

edito vectauiſſe, incolumiq; eum corpore & ornatu, Tænarum in terram Laconicã deuexiſſe. Tum Arionem prorſus ex eo loco Corinthum petiuiſſe, talemq; Periandro regi, qualis Delphino vectus fuerat, ſeſe obtuliſſe, eiq; rem, ſicut acciderat, narrauiſſe. Regem iſthæc parum credidiſſe, Arionem, quaſi falleret, cuſtodiri iuſſiſſe. Nautas requiſitos, ablegato Arione, diſsimulanter interrogaſſe, ecquid audiſſent in ijs locis, vnde veniſſent, ſuper Arione? Eos dixiſſe, hominem, cùm inde irent, in terra Italiæ fuiſſe, eumq; illinc bene agitare, & ſtudijs delectationibusq; vrbium florere, atq; in gratia, pecuniaq; magna fortunatum eſſe. Tum inter hæc eorum verba Arionem cum fidibus & indumentis, cum quibus ſe in ſalum eiaculauerat, extitiſſe. Nautas ſtupefactos conuictosq; ire inficias non quiſſe.

Eam fabulam dicere Lesbios & Corinthios, atq; eſſe fabulæ argumentum, quod ſimulacra duo ahenea ad Tænarum viſerentur, Delphinus vehens, & homo inſidens.

FABVLA EX LAMIA POLITIANI DESVMTA.

De

De Avibvs et Noctva.

AVes olim propè vniuersæ noctuam adierunt, rogaruntq; eam, ne posthac in ædium cauis nidificaret, sed in arborum potius ramis, atq; inter frondes, ibi enim vernari suauius. Quin eidem quercum modò enatam, pusillam, tenellamq; adhuc ostendebant, in qua scilicet molliter (vt aiebant) & sidere ipsa aliquando noctua, & suum sibi construere nidum posset. At illa facturam se negauit. Quin vicissim cõsilium dedit ijs, ne arbusculæ illi se crederent: Laturam enim quandoq; esse viscum, pestem videlicet auium. Contemsere illæ (vt sunt leue genus & volaticum) sapientis vnius noctuæ consilium. Iam quercus adoleuerat, iam patula, iam frondosa erat. Ecce ibi aues illæ omnes gregatim ramis inuolitant, lasciuiunt, subsultant, colludunt, cantillant. Interea quercus ea viscum protulerat, atq; id homines animaduerterant. Implicitæ ergo repentè ibi omnes pariter misellæ, ac frustra eas sera pœnitentia subijt, quod salubre illud consilium spreuissent. Atq; hoc esse aiunt, cur nunc aues omnes, vbi noctuam viderint, frequentes eam quasi salutant, deducunt, sectan-

sectantur, circumsidunt, circumuolitant. Etenim consilij illius memores, admirantur eam nunc vt sapientem, stipantq́; densa caterua, vt videlicet ab ea sapere aliquádo discant. Sed opinor frustra, imò verò, etiam interdum cum magno ipsarum malo. Nam veteres illæ noctuæ reuera sapientes erant: nunc multæ noctuæ sunt, quæ noctuarum quidem plumas habent, & oculos, & rostrum, sapientiam verò non habent.

Bene monentis consilia ne spernas, hæc fabula docet.

Apologvs ex secvndo libro Petri Criniti, de honesta disciplina, desumtus.

Sata est olim cucurbita iuxta arborem pinum, quæ grandis admodum & ramis patulis extabat. Cucurbita verò, cùm multis pluuijs atque cœli temperamentis creuisset, lasciuire incipit, & ramulos audacius porrigere: iam serpebat in pinum, iam surgere, iam ramos & frondes inuoluere audebat, ampliora folia, candentes flores, prægrandia poma, & virescentia ostentans. Itaq; tanto fastu atq; insolentia

intumuit, vt pinum arborem ausa sit aggredi,&, Vides, inquit, vt te supero amplis folijs, vt frigore præsto, & iamiam ad cacumen præsurgo? Tum pinus, quæ senili prudentia & robore pollebat, nihil mirata est cucurbitæ insolentis audaciam, sed ita ad eam respondit: Ego hîc multas hyemes, calores, æstus, variasq; calamitates pertuli, & adhuc integra consisto. Tu ad primos rigores minus audaciæ habebis, cum & folia concident, & viror omnis abierit.

Secundis rebus non est superbiendum.

FABVLA DE CORVO ET LVpis, ex Ioan. Anton. Campano desumta.

COruus lupos per ardua montium iuga comitatur, partem sibi prædæ fieri postulat, qui eos secutus nullo tempore destitisset, sociusque fuisset. Repulsus deinde à lupis, tanquam non eos, sed prædam cibumque secutus, nec minus luporum, si occiderentur, quàm cæterorum animalium, exta fuisset voraturus.

Non quid agamus semper inspiciendum est, sed quo simus animo, cum agimus.

Altera

ALTERA DE PARTV TERRÆ, ex eodem.

TVrgida olim facta tellus, & mirum in modum tumida, magnum aliquod paritura videbatur. Accurrunt finitimi, ſtupent agricolæ, terræ partum inter ſpem metumque expectant: alij Typhoëa illum Centimanum, alij montes erupturos putabant. Aperitur terra, prodit mus, & quod miraculo fore omnibus arbitrabantur, in riſum atque iocum conuerterunt.

Non ſemper credendum promiſsis magnificis.

APOLOGVS DE MEMBRIS & Ventre, ex Plinio deſumtus.

HVmani artus cum ventrem ocioſum viderent, ab eo diſcordarunt, & ſuum illi miniſterium negauerunt. Cùm eo pacto & ipſi quoque deficerent, intellexerunt, ventrem cibos acceptos per omnia membra diuidere, & cum eo in gratiam redierunt.

Magnæ res diſcordia pereunt, concordia valent.

NICOLAI GERBELII PHORCENSIS APOLOgus lepidiſsimus.

DE ARANEA ET PODAGRA.

ARanea paululum à texendo opere quietior, animi relaxandi gratia commodum deambulabat. Huic ſe obuiam præbuit podagra, tametſi paſsibus ambiguis admodum ægrè illam aſſequeretur. Eius diei itinere vtcunque emenſo, non longè aberant ab oppidulo, cui regionis eius incolæ Tichæ nomen indiderant. Vtrique conſilium fuit, conditionis ſuæ hoſpitem perueſtigare. Aranea non maximopere data opera, in opulenti cuiuſdam ciuis ædes diuertit: Inibi quaquà verſum telas ſuas præpandebat, prætendebatque retia. Aderant illico, neſcio qui trygodæmones, qui textrinam illius demoliebantur. Momentaneum itaq; erat ipſius, quo etiam cunque ſe verteret, ædificium: Nuſquam enim ſcopariorum oculatas ſcopas poterat effugere. Miſera planè, quæ in tanta rerum omnium affluentia ſola egebat, proturbaturq́;. Podagra verò mendicabili inſtar vix tandem egeſtoſi cuiuſpiã tugu-

tuguriolum impetrarat. In id loci cum decubuiſſet, nihil non experiebatur miſeriarum. Apponebatur cœnaturienti panis cibarius, aridis vix faucibus hianti hydropoterium. Iamq; diurno itinere laſſeſcenti, torus ligneus, nullis frondibus, nullo gramine, ſed prætenuibus paleis insternebatur. Atqui dicere non eſt huius inſtitui, quàm conuenerint malè membris mollibus, cuticulæq; (vt ita dixerim) holoſericæ ſtragula tam dura, tam barbari villi. Oriente igitur vix tandem illo auguſto ſidere, quod exaudit, quod intuetur omnia, conuenêre rurſum aranea ſimul & Podagra. Prior aranea præteritæ noctis moleſtias, tot locorum commutationes denarrat: Nunc heri exprobrans mundiciem, nunc nimiam ſcopariorum obſeruantiam. Podagra contrà de hoſpitis ſui egeſtate complura comminiſcitur: Nec ocium habet demonſtrare araneæ liuidas vibices, quas adamantina fulcra tenellæ cuticulæ impreſſerant. Conſilium ineunt, araneam deinceps pauperum tuguria, podagram verò diuitum aulas debere ſubingredi: In hanc aranea pedibus, podagra animis vadit ſententiam. Veruntamen tenebris iamiam increbreſcentibus, vrbi cui-

 piam

piam ſeſe approximant. Podagra inſtituti non immemor pedetentim ſe in nummóſi cuiuſdam domum illatebrauit: Qua cōmodum ab hero conſpecta, dij boni, qua beneuolentia, qua humanitate, quibus nominibus excipitur! Supponuntur, ſubſtruunturq́; olorinæ culcitræ, toralia perdicū ſubalaribus plumis referta. Taceo vinum dulce, vinum nigrum, Lesbium, Surrentinum: Taceo ficedulas, phaſianos, atq; eas auiculas, quæ binis ſuperbiunt cordibus. In ſumma, nihil deliciarum, nihil voluptatum non exhauriebat. Aranea pauperis caſam ingreſſa, telas orditur, quaquauerſum parietes interpatent, retia ſuſpendit: orbiculari operi manibus pedibusq́; incumbit, reficit abrupta, perficit intercepta: &, vt dicam breuiter, vacua dominatur in aula: Nullas inſidias, nullius formidat inſultus. Imò verò etiam iam ſcopis ſuperior omnibus. Non multò poſt, podagra araneam conuenit, delicias ſuas, felicitatem, fortunas ampliter exornat. Aranea miris laudibus extollit imperium ſuum, ædificandi, texendiq́; libertatem. Placuit tandē hæc vtriſq; ſententia: Quorſumcunq; proficiſcerentur, podagra in diuitum domos,

araneam

araneam in pauperum tuguria debere diuertere.

Apologus hic, tametsi ad vſus varios accommodari queat, id tamen inprimis declarat, Alium alio loco fortunatiorem eſſe. Præterea, Morborum domiciliũ eſſe diuitum aulas. Ad vltimum, Nuſquam libertatem maiorem, quàm vbi diuitiarum minus.

FABVLA DE BELLEROPHONTE. Temperantiæ & caſtitatis præmia.

BEllerophontem appellatum prius Hipponum ferunt, vt apparet, à ſcientia rei equeſtris, de qua & alati equi Pegaſi fabulam ortam, veriſimile eſt, quem à Neptuno accepiſſe traditur. Hic occiſo Bellero Corinthio Bellerophontes appellatus, & ſub imperio fuit Prœti regis Argiui, qui primùm & carum hunc, & in honore apud ſe habuit, poſtea capitali odio proſequens: cum tamen contaminare ſeſe illius cæde nollet, ad certam eum mortem, vt putabat, ablegauit in Lyciam ad ſocerum ſuũ Iobatem. Concitarat autem hoc illi odium falſa accuſatio Anteæ vxoris Prœti, quæ cum ſolicitaſſet adoleſcentem elegantem

 & for-

& formoſum, & paſſa fuiſſet repulſam, neq; vllis blandimentis mouere potuiſſet ἀγαθὰ φρονέοντα, vt inquit Homerus, ſimul in capitale odium, vt ſit, inceſto amore conuerſo, ſimul verita, ne ab illo indicium fieret turpitudinis, anteuertere ſtatuit criminatione ficta, venitq; cum magnis clamoribus & querelis ad maritum, & accuſat apud illum Bellerophontis audaciam & ſceleſtos conatus, qui ſibi inferre vim & ſtuprum molitus fuiſſet: Hanc tu, inquit, Prœte contumeliam niſi vltus fueris, deos oro, in te vt vindicent. Itaq; dolore commotus rex, fecit vt vir prudens, & à neceſſario & veteri amico, ipſe quidem manus abſtinendas ſibi duxit: vt tamen non impunitum malum facinus eſſet, ablegat Bellerophontem ad ſocerum ſuum in Lyciam cum literis, quibus petebatur, vt tabellarium ille curaret interficiendum. Iobates cum audiſſet, adeſſe tabellarium à genero ſuo, ſumma eum humanitate complectitur, atq; totos dies nouem, nouem bobus mactatis, inter ſacra deorum, & epulas hilariter cum illo verſatur. Decimo die, Ecquid literarum afferret, vt dictum eſſet, interrogat. Bellerophontes ignarus omnium, tabellas reddit: Iobates cognitis ijs,

ijs, quæ à genero petebantur, quò minus manifeſta cæde, & quaſi manu ſua interimeret hoſpitem, relligione prohibebatur, etiam miſerabat hunc Bellerophontis, cui in adoleſcentia nihil ad laudis & virtutis ſummam deeſſe videretur: ſed ſi tale facinus deſignaſſet, ſupplicium & pœnas meritas effugere oportere non arbitrabatur. Mittit igitur ad oppugnandam Chimæram: hoc monſtrum diuinum quoddam, non humanum erat:

Fronte leo, extremũ ſerpens, mediumq́ capella.

Efflabat autem de faucibus horribilem flammam, eratq́; non ſolùm congreſſu, ſed omninò aſpectu terribile: Verùm hoc deorum immortalium oſtenta ſecutus, cōfecit. Tum demandatur illi aduerſus Solymos, fortiſsimam nationem, bellum: quo non alium ſibi maiorem vnquam oblatum laborem fuiſſe, dicere ſolitus perhibetur. Sed his etiam ſuperatis vincendæ mox & interficiendæ fuerunt Amazones, virile, & inprimis bellicoſum mulierum genus. Poſtremò tantis rebus geſtis reuertenti in Lyciam, delectam manum fortiſsimorum virorum opponit, qui ex inſidijs adorirentur Bellerophontem, atque trucidarent: ſed ipſe hos vniuerſos ob-

truncauit, vt ne vnus quidem de cæde elaberetur. Ita demum & à dijs immortalibus protegi hunc, & innocentiam calumnijs oppugnatam fuiſſe, intellectum. Quapropter Iobates in ſuum regnum recepto, dat vxorem filiam ſuam Caſſandram, omnemq́; regium honorem, dignitatem, emolumenta cum illo æqualiter diuidit. Tum verò Lycij ſuſpicientes virtutem Bellerophontis, tanquam Deo lucum eximium ſacrauerunt, vbi in omni copia & fœcunditate ſoli, & amœnitate loci inter ſegetes, racemos, fructusq́; arborum vitam degeret. In qua ille felicitate ſuſcepit ternos liberos quoq; de vxore ſua, Iſandrum, Hippolochum & Laodamiam, quę Ioui placuit, genuitq́; illi Sarpedonem. Hunc ita dilexit Iupiter, vt interfectum à Patroclo honore ſanguineæ pluuiæ proſecutus, curarit deferri in Lyciam à duobus fratribus Leto & Sopore, vbi à propinquis conditum corpus illius appoſita columna (vt in honorificis ſepulturis fieri conſueuit) tumularetur.

De Bove rvminante & Porco.

Bos

BOs opimus iam ſaturatus pabulo, recumbebat humi, & in illa quiete cibum præmanſum ruminabat. Conſpicatus hūc porcus, deriſit, atq; contemſit præ ſe, quod & bos tam laborioſè nutriretur, & ipſe non minus celeriter ſaginaretur, qui & auidiſsimè ingurgitaret ſe cibo, & nequaquam ingeſta ſemel reuocaret in os ad cōficiendum. Cui bos fertur dixiſſe: Ita nimirum eſſe naturam vtriuſq;, vt alter cautè paſceretur & lentè, alter auidè & ſubitò deuoraret quæuis, ac in ſanguinem inermem conuerteret. Itaq; non eundem eſſe amborum etiam vſum.

Fabula docet, cogitatione & diligentia & conſideratione, firma & ſolida intelligentiæ bona acquiri.

De Bove et Eqvo.

EQuum μώνυχα vocarunt, propter ſolidas vngulas. Hunc exprobraſſe aliquando ferunt boui vngulas fiſſas: ita enim illum ingredi tardius, neq; exilire alacriter poſſe. Sed bouem hoc modò traditur reſpondiſſe: Tarditatem circumſpectam non nocere.

Subijcit fabula dictum vetus Græcorum, σπεῦδε βραδέως.

De Corvo, Gallo et Gallinis.

PAres cum paribus congregari verè dicitur, etsi in improbitate hoc fit ad detrimentum bonorum. Sic aliquando coruus & vulpes coniuncti fuerunt. Cum esurirent autem, excogitat hanc fraudem vulpes: Induit cucullam, & procumbit in genua, & librum ante se collocat, & priores pedes tanquam manus vnà cum oculis in cœlum tollit, quasi deplorans prioris vitæ delicta, & veniam deprecans, & diuinam misericordiam implorans. Venit igitur ex compacto ad gallinarum cohortem coruus, & mira narrat de consuetudine & religione vulpis: deq; illius salutari doctrina, deq; vitæ emendatione & sanctitate. Sed quid opus est, inquit, verbis? paululum in hoc nemusculum progressæ, ipsæ licet aspiciatis optimam vulpeculam iam cultui diuino & adorationi vacantem, & coràm omnia cognoscatis. Mouebantur oratione corui stolidæ aues, & sequi hunc incipiebant. Cum gallus fraude animaduersa, reuocat illas, ac monet, viderent, qui ipsas, à quo, ad quem abduceret.

Cui

Cui credas, videto. Sed & ipsæ fabulæ narratio aliquid doctrinæ compræhendit.

De Terra et Coelo.

Fertur cœlum quodam tempore superbè locutum esse contra terram, & multa inclementer in eam dixisse, inprimisque contumeliosè exprobrasse huic humilitatem infimam, & molem atq; desidiam. Sed terra neq; humilitatem sibi suam dedecori esse respondit, & se firmitatem boni consulere, neq; inuidere agilitatem cœlo. Deniq; se neminem lædere inertia & pondere suo, cum cœlum versatile & leue ea colligeret atq; includeret, de quibus & fulmina cum horribili fragore excuterentur, & pestilentes halitus omnibus animantium generibus immitterentur.

Commendatio est pulcerrimæ & Deo gratissimæ virtutis, quam Græci ταπεινοφροσύνην nominant. Docet & hoc fabula, præstantes naturas non esse paruorum malorum effectrices.

De Corpore et Animo.

Animus corpus moriens reliquerat. Illud igitur cum, antequam putresceret,

 de in-

de interno vapore inflaretur, gloriari incremento, & sibi admodum placere cœpit: Verùm animus neq; diuturnum timorem illum fore, & quid mox secuturum esset, ostendit.

Narratur contra elationem stultæ superbiæ.

De Simia et Vulpe.

Simia conspicata nautas malum ascendentes, imitari voluit, dissuadente quidem coruo, sed hac deridente monita ipsius. Cum igitur antennas attigisset, subitò oborta vertigine delapsa in transtra, & grauiter afflicta fuit. Postea viso solio, vnde rex paulò ante discesserat, accurrit & illud occupat. Accedit deridens hanc vulpecula, &, ecquid imperet, rogat. Simia astare illam & contemplari se reginam iubet. Imò ego, inquit vulpes, vt celeriter hinc te abripias suadeo. Sed superbè despicientem dicta vulpis, simiam canes, qui ante reuertentem regem procurrerant, inuadunt, atq; iam pauentem & trepidam mordicus arripiunt, ac laceram & semiuiuam vix tandem amittunt, deplorantem illam & cupiditatem & stulticiæ damna.

Monet

Monet fabula, rectè monstrantibus esse obtemperandum. Et subijcit prouerbium, Serò sapiunt Phryges.

De Passere et Aqvila.

PAsserum genus esse perhibetur, quod fugiat coniunctionem & consuetudinem tam cognationis suæ, quàm externarum auium. Ex his vnum aliquando gloriantem, & verbis ostentantem suam solitudinem, & hanc collaudantem, confutat apicula, & docet, congregationes & cœtus multò esse cùm iucundiores, tum tutiores.

Commendatio est humanitatis & societatis.

De Ove et Cervo.

FOrte ostium apertum reliquit ouis, procurrit de caula, & gaudens libertate illa, abijt in siluam proximam. Cui obuiam factus ceruus, compescuit exultationem stolidi animalis, & reduxit errantem ouem in viam, ac reuocauit ad caulam, cum demonstrasset illi non esse tutum, vt sola vagaretur, præsertim in siluis.

Multi, secundum Platonem, fugientes seruitu-

ſeruitutis liberalis fumum, in ignem incidunt dominationis ſeruilis. Et eſt ſalutaris ſeruitus ijs, qui ipſi ſeſe regere non poſſunt.

De Nvbe et Terra.

NVbecula euaporata à terra, relinquere hanc, & in ſublime ferri volebat. Terra verò increpare illam & hortari, ne ſe, vnde orta eſſet, tam citò deſereret. Sed nubecula cupiditate loci excelſi elata in cœlum, & ſpretis monitis maternis, mox à ventis diſsipatur.

Narratur contra elationē ſuperbiæ, cui ipſe etiam Deus reſiſtit, & humilib. fauet.

De Formica et Apibvs.

ALata formica cum apiculis congregabatur: ſed cum nollet intra alueum hyeme includi, ita reuertendum ſibi ad ſuum genus ſtatuit. Formicæ autem vacuam & nihil in commune afferentem, nequaquam admittere voluerunt, reuerſamque ad alueum, apes iam foramine oblito, non potuerunt recipere.

Hoc dicitur: Suo quemque loco conſiſtere optimum. Et narratur contra temera-

merarias conditionis] mediocris mutationes.

De Rhinocerote incvrrente in rupem.

RHinoceros animal & robuſtum & grande, corio duro & ſquamato, quaſi clipeatum, naſo cornuto, vnde & nomen ſortitum fuit. Huius generis vnus, conſpecto quodam coruo inſidente rupi, declaraturus robur ſuum, omnibus viribus & ſumma contentione in rupem impetum facit, tanquam hanc euerſurus, & deturbaturus coruum. Sed incurſione incitatiſsima fracto cornu, irridetur à prætereunte vulpecula: Quæ docet, alijs ferramentis ad rupes demoliendas opus eſſe.

Subijcit fabula ſententiam hanc, ῥώμη δ' ἀνεμώλιος ἄφρον. Docetq́; audaciæ vires, & robur expers prudentiæ ſæpe exitioſum eſſe.

De Onagro et Simia.

DE onagris, qui ſunt aſini ſilueſtres, vulgò creditum atq; traditum eſt, hoc animal in ſerenitate eſſe pigrum & triſte, alio tempore laſciuire & exultare. Id ſi verum

eſt,

eſt, in illo atram bilem abundare oportet. Nam & homines reperiuntur, quibus idē vſu venit, vt Sole & claro cœlo offendantur, pluuijs & nubibus delectentur. Sed illi animali quondam ſimiam ſereniſsimo die obuiam factam eſſe aiunt, cumq́; videret conturbatum & triſte: Quid eſt, inquit, quod te talem aſpicio? ſatiſne ſaluus? Sic, inquit onager, eſſe ſoleo tempore ſereno. Nubilo verò & pluuio quid? Satis hilaris. Tum, Tu, inquit ſimia, vale, qui in mundi triſticia lætaris, & hoc lætante triſtis es.

Notatur peruerſitas vitæ & morum in multis leuibus & improbis.

De Colvmba et Lvto.

Columba candida delata impetu in lutum & inquinata fuit. Cum irrideretur à luto, & hoc cōtemnens, & ſe conſolans, Emendabile, ait, damnum factum; & eſſe mundiciem ſuam, fœditatem luti propriam: Atq; deinde ad vndam puram accedens, contractas maculas eluit.

Innocentia maledictis aſpergi quidem poteſt, ſed veritas illi priſtinum nitorem facilè reſtituit.

De Ciconia, Mvribvs et Ranis.

Ciconia

CIconia esuriens, cum subter paludis aquas ranæ, & intra cauernulas suas mures latitarent, ita elicere vtrinq; pabulum suum aggressa fuit. Venit ad paludem, & narrat ranæ audijsse se, cum à mure verbis contumeliosis incesseretur genus ranarum, cumq; mus hoc despiciens, se vnum ternos aut quaternos ranunculos profligaturum facilè esse gloriaretur. Ibi ira inflata rana, se aperto in campo cum mure congredi, ac depugnare velle, ait. Auolat igitur inde ciconia ad cauernulam muris, & ante hanc similia de ranæ superbiloquentia narrat, & quantopere suas virtutes contra mures illa prædicarit, quodq; dixerit, ab vna rana decuriam ipsorum, sine labore quidem, &, vt Græci aiunt, ἀκοντὶ, superari posse. Ergo & mus iratus, ait se cupere cum rana in certamen descendere. Asignatur locus dimicationi campus spaciosus ac patens, & tam à palude quàm cauernula muris remotior, in quem illi præliatores progresi, à ciconia ociosè deuorantur.

Fabula docet, sæpenumero commissos inter se aliquos, & ira ac odijs mutuò ardentes, alijs prædæ esse solere.

De

De Avaro et Montibvs aureis.

CVm audiſſet quidam eſſe in India mõtes aureos, ſummo cum labore & per ingentia pericula illuc contendit. Quò cum tandem perueniſſet, reperit obſideri illos, & cuſtodiri aurum à gryphibus, & montes eſſe inacceſſos: deplorans igitur iter, tempusq́; perditum, & ſe afflictum ambulando, ita cum dolore & labore aliquantò magis moleſto, quàm acceſsionis fuerat, inanis domum reuertitur.

Imprudentes ſæpe appetunt ea, quibus neq; potiri neq; frui poſſunt.

De Simia et Circvlatore.

SImia petit à circulatore veſtem: cui ille pulcerrimam, & aureolis filis diſtinctam offert, & dare hanc ſe ait ſimiæ, ſed ea lege, vt catenula ſe alligari patiatur. Qua cupiditate ornatus recepta, poſtea ſeruire perpetuò coacta fuit.

Notatur ineſcatio cupidorum, & indicatur, voluptatis comitẽ eſſe ſeruitutem.

De Hirvdine.

Hirudo

HIrudo applicata ad vlceris virulenti margines, auidè ſanguinem infectum attraxit, & mox differta veneno interijt.

Narratur fabula contra ingluuiem & intemperantiam, qua plures quàm gladio interire verè dicitur.

De Terra et Coelo.

QVerebatur terra cœlum ſibi celeriter eripere calefactum, quod dediſſet humidum. Cui illud, Non enim dare poſſem, niſi reciperem.

Oſtenditur, mutua beneficia durabilia eſſe.

De Mari et Amni.

AMnem interrogat mare, quando finem influendi facturus ſit? Cui amnis, cum tu admittendi.

Liberalitatis ſunt perpetua beneficia.

De Apicula et Ebrioso.

EBrioſus de apicula circumuolante percontatur, quidnam conſectetur? Illa, Dulcia, reſpondit. Huc igitur, inquit, mecum accedito, vt abunde haurias, & ad poculum plenum ſuauiſsimo vino, qui

αὐθοσμίας dicitur, eam adduxit. Sed hoc illa refugit vt contrarium.

Non eadem omnibus iucunda videri ac eſſe, docemur. Itemq́;, Copiam voluptatis fugiendam eſſe.

De Aqva et Oleo.

SVper aquam effuſum oleum natabat. Hoc aquæ dolebat, quæ diceret immerito ſe premi ab eo, cuius arborem ſuo humore fouiſſet, vt gignere oliuas poſſet, vnde ipſum eſſet expreſſum. Nihil curans hoc oleum, mox fortè igne correptum & inflammatum, conſumitur: Aqua remanente & impediente etiam conflagrationem.

Fabula narratur de ingratorum malicia & bonorum ſimplicitate.

De Prometheo.

CVm experiri vellet Prometheus, vtrū inter homines, quos iam cœperat effingere, conſenſio aliqua & animorum conuenientia futura eſſet, priuſquam caput reliquo corpori aptaret, in quo rationem & cogitationem & intelligentiam collocare placuerat, congeſta aliquot ca-

capita

capita in ſacculum indidit, & conſcendit montem, & laxato ſacculo, ita effuſa capita deuolui permiſit. Ibi vnum huc, aliud aliò deferri: Multa etiam in ſeſe impingere, & vnum alterum euertere atq; percellere. Ibi tum ille facilè præuidit, quæ humanarum ſententiarum diſcrepantia futura eſſet inter homines, tanta nimirum numero, quantus capitum extitiſſet.

Quot homines, tot ſententiæ.

De eodem, et fratre ipſius Epimetheo.

CVm fabricari in loco ſubter terram ſecretiore homines cœpiſſet Prometheus, occupato quondam alijs illo rebus, venit in officinam frater ipſius Epimetheus, quem Pindarus vocat ὀψίνοον, & conſpectis operibus inſtitutis, cœpit & ipſe imitando fraternas effigies, aliquid formæ humanæ de luto componere. Quibus inter alias, quas abſoluerat Prometheus, poſtea animatis etiam ipſis, magna fuit inter hæc duo genera diuerſitas, ſicut & inter eorum poſteritatem manet. Nam Promethei ſoboles acris eſt & prudens & ſagax: Epimethei iners, ſtolida, incogitans.

Fabula docet, diuerſas eſſe hominum naturas & ingenia.

De Eqvo.

EQuus nationis generoſæ, cum iam aſcenderetur & agitaretur, phaleris etiam ornatus, ſuperbire animo & exultare corpore, & geſtire effuſe atq; efferri cœpit. Audito verò etiam tubæ ſonitu, iam neſciebat ſtare loco, micabatq; auribus, & tremebat toto corpore, cupiditate belli incitatus. Sed poſtea defatigatus & afflictus in prælio, ægreq; ſeruatus & reductus ad præſepe, ibi demiſsis auribus & remiſſo flatu, placidè aſtitit, & in ſubiecta ſtramenta mox incubuit & acquieuit.

Dulce bellum inexpertis.

De Patre et Filio.

RElicto vnico filio & patrimonio luculento quidam vir honeſtus deceſsit, cum prius monuiſſet filium, bene eſſe parta omnia, & hortatus fuiſſet, vt rem paternam & auitam tueri, & poſteritati etiam conſeruare vellet. Mortuo patre, diuitiarum ingenti deſiderio captus adoleſcens fundos paternos proſcribit, & magnam

ſummam pecuniæ cogit, quam partim fœnore elocat, partim mercimonijs comparandis impendit. Sed cum neque penſiones ſoluerentur, & ſors quoq; periret, & fierent magnæ in mari iacturæ, & emta cum detrimentis diſtraherentur: tum ad extremam ille inopiam redactus, ad reliquias pauculas bonorum paternorum reuerſus, & fruſtra iam obſequi cœpit monitis paternis: & amiſſa bene viuendi occaſione, reliquum tempus in paupertate atq; miſeria exegit.

Prima doctrina fabulæ eſt, Obtemperandum parentibus enixè. Secunda, ab his relicta diligentia conſeruanda. Tertia Menandri ſententia: πλεονεξία μέγιστον ἀνθρώποις κακόν.

Quarta eiuſdem verſuum horum:
Ἐπὰν δ᾽ ἐν ἀγαθοῖς, ὢν νοούμενος τὶς ὤν,
Ζητεῖ πικρεῖτλον ὧν ἔχει, ζητεῖ κακά.

De Venatoribus et Vulpe.

Venatores iam defeſsi indagando, cùm tota die nihil exagitare neque capere potuiſſent, domum tandem reuerti incipiunt. Et veſperi propè caſam ruſticam vident vulpem inſidiantem gallinis, in

quam canes immittunt, & illa capta non prorſus inanes redeunt ad ſuos.

Monet fabula, interdum fortuitò obuenire commodum, quod nullo labore acquiri potuerit.

De fvrto indicato.

QVidam argentea vaſa furto ſubtracta in terram defodit, vbi tecta facilè latuerunt, neq; auctor furti proditus fuit. Lõgo tempore poſt, nemine iam amplius quærente, ipſe illa proferre & venundare cœpit. Itaque agnita inſperatum furis indicium fecerunt.

Sententia Menandri ſubijcitur, Veritatem prodire vltrò interdum in lucem.

ἔρχεται, inquit,

τ' ἀληθὲς εἰς φῶς ἐνίοτ' οὐ ζητούμενον.

De Monedvla.

MOnedula eſt animal furax, & ſunt, qui à moneta nomen iſtud deductum putent, quod numiſmata rapere & auferre genus hoc ſoleat. Harum vnam paruulam adhuc, à matre ſenio confecta caſtigatam verbis fuiſſe, aiunt, ob furta. Cui illa obiurgata dixerit, luſum hunc eſſe ſuum. Matre

verò

verò docente, lusum istum esse vituperandum atq; malum: Interrogasse pusillam monedulam perhibent: Nunquid hunc lusum ipsa etiam aliquando lusisset? Annuit mater: sed tempore, inquit, destiti. Et ego, inquit filia, aliquando desistam. Tum mater, Vide tamen vt possis: nam hoc est ferè maximè omnium difficile, relinquere ea, quæ consuetudine & vsu frequentaueris.

Doctrina est inclusa narrationi. Nam & virtutes & vicia vsu confirmantur, & neq; seriò neq; ioco dedecus admittendum aut flagitium committendum est.

FINIS.

ERRATA.

Supra pag. 31 & inf. pag. 374. de Muscæ suffocatione, transpone fabulas.
Pag. 305. vers. 14. pro 102. pone 208.
Pag. 353. vers. 11. pro 95. pone 167.
Pag. 362. vers. à fin. 2. pro 106. pone 21.
Pag. 365. vers. 11. pro 110. pone 50.

LIPSIAE

IMPRIMEBANT HAERE-
des Iohannis Steinmanni.

IMPENSIS HENNINGI
GROSII Bibliopolæ.

Anno M. D. XC.